

EPILEGOMENA AD HOMERUM

SIVE

OBSERVATIONES AD ELOCUTIONEM
ET COMPOSITIONEM ILIADIS
ET AD QUÆSTIONEM HOMERICAM

SCRIPSIT

JULIUS GYOMLAY

ACADEMIÆ LITTERARUM HUNGARICÆ SODALIS

Commentatio in consessu Academiae Litt. Hung.

die 9. Oct. ann. 1922. recitata

BUDAPEST

KIADJA A MAGYAR TUDOMÁNYOS AKADÉMIA

1923

PRÆFATIO.

Cur hanc dissertationem scriberem, nuncque potissimum ederem, duplēcēm habui causam.

Et prior quidem est, quod studia ad quæstionem Homericam pertinentia ad eos fines novissime appropinquare video, citra quos observationes meas per quadraginta fere publici mei munieris annos factas et collectas publici iuris facere haud supervacaneum fore censeo. Juventutem meam in illa ætate peregi, quæ huic novissimæ ad analysis ipsorum carminum revertenti antecesserat, in qua diversissimæ disciplinæ: grammatica, dialectologia, archaeologia, scientia iuris, rerum civilium et militarium, geographia, ethnographia et aliae novam lucem quæstioni afferre conabantur, ipsæque amplissimum sane fructum earum inquisitionum eeperunt, neque tamen ad ipsam quæstionem solvendam sufficientes se præstiterunt. Itaque in locum earum haec nova ratio successit, quæ studium accuratius ipsorum carminum indolisque et naturæ poëtarum sibi proposuit, cuius primæ quidem origines ante commentationes de Odyssea scriptas (1884) viri doctissimi, ubique fere præcedentis novamque viam monstrantis, Udalrici a Wilamowitz-Meellendorff iam in operibus Welckeri, Kirchhoffii, Kammeri, Kayseri inveniuntur, quæ tamen præsentem in quæstione solvenda auctoritatem circiter viginti abhinc annos obtinere cœpit opera coniuncta multorum virorum (atque adeo feminarum) doctorum, cum in singulis partibus elocutionis Homericæ,¹⁾ tum in universorum carminum elocutione, dispositione,



inventione²⁾) Homerici ingenii propria perscrutantium. Superioris illius etiatis studia pro meo proposito prorsus neglegere potero; sed quoniam mea quoque de quæstione Homericæ sententia in observatione elocutionis carminum a nullo dependente, omnesque fere recentiores ætate antecedente nititur, ad hanc novissimam inquirendi rationem habebo fortasse nonnulla quæ suppleam vel admoneam.

Altera causa edendi huius opusculi præsenti apud nos rerum litterariorum statu definitur. Nam Triarnensi illo iudicio duarum e quattuor universitatum Hungaricarum omnibus fere subsidiis, libris spoliati, ne principalia quidem opera ad hanc gravissimam litterarum Graecarum quæstionem spectantia discipulis nostris suppeditare poterimus; huic igitur miseriae aliquo modo providendum erat, ne futuri scholarum nostrarum magistri ex hac parte prorsus ignari universitatem nostram relinquerent. Præterea innumeris discipulis meis in gymnasio, dein in seminariis duobus futurorum magistrorum, postremo in duabus universitatibus Budapestinensi et Posoniensi iustum quoddam debitum persolvere mihi videor, si summam observationum nostrarum communiter per quadraginta annorum seriem factarum in unum corpuseulum collectam exposuerim atque ediderim.³⁾ Latino autem sermone non idcirco usus sum, quasi Ciceronis latinitatem, quam ne Wolfis, Hermannis quidem in hoc difficillimo genere adæquare contigit, imitari studerem, sed officii et observantiae causa, ut verba mea etiam socii nostri egregii intellegent, de quorum sententiis potissimum acturus sum, et cum quorum filiis nostri filii pro causa iustissima et communi usque ad commune nostrum exitium fortissime decertabant. Mallem quidem de re Graeca sermone Graecorum recentiorum uti, qui mihi terminos, qui dicuntur, technicos in hoc genere necessa-

rios procul dubio facilius et uberioris suppeditaret, ni, quominus id facerem, disciplinarum Graecarum precaria apud nos vita impediret. Nam inter discrimina belli eo usque proiecti sumus, ut Graeca studia deinceps etiam historiæ et philologiæ Latinæ studiosis superflua esse iudicarentur. Sed, ut cum Livio loquar, querellæ ab initio modesti huius opusculi absint, cuius maximum præmium ego quoque hoc petam «ut me (et lectorem) a conspectu malorum, quæ nostra tot per annos vidiæ etas, tantisper certe, dum prisca illa mente repeto, avertam».

²⁾ E. g. ut Erhardt, Hennings, Drerup, Wecklein, Rothe, Mülder, Bethe, ipseque Wilamowitz.

³⁾ Titulum quoque huic commentationi inscriptum ita intellegi velim, quasi epilogum me meis discipulis ad nostras observationes, non ad universam quæstionem Homericam scribere voluisse, quo nihil cogitari posse immaturius vel adeo ineptius, animoque meo magis alienum ex ipsa commentatione elucebit.

PARS PRIOR.

I.

Procedente hac disceptatione apparebit doctos viros non-nulos in hac novissima elocutionis inquirendae ratione occupatos mea sententia nimias partes rationibus inveniendi et disponendi concessisse, eamque investigandi methodum bonam et laudabilem esse in artificiosis recentiorum poëtarum operibus, præsertim quorum fontes, utpote noti, perquisitione vel conjectura non indigeant, sed in Homericis carminibus periculosam esse ad naturam ipsius elocutionis recte aestimandam. Itaque ego horum carminum vel, ut rectius dicam, Iliadis — de qua potissimum hic agetur — primo loco solam elocutionem, separatis disponendi et inveniendi rationibus, examinare mihi proposui, ut, quæ inde efficientur, cum novissimorum auctorum sententiis ex investigatione dispositionis constitutis confrontarem.

Sunt quædam propria Homericæ elocutionis, quæ ita cum naturæ Græcæ linguae cohæreant, ut in translationibus reddi non possint; quoniam autem eadem minime subiecta sunt inveniendi ac disponendi rationibus, de iis omnium primum nobis agendum erit.

Ac maxime quidem notandum gravissimumque talium priorum est, quo elocutio Homericæ ab omnium populorum carminibus discernitur, forma carminum argumento eorum unice contraria; nam argumentum, plus minusve semper nativa quadam simplicitate conspicuum, formulæ loquendi iterum atque iterum occurrentibus exprimitur, quæ longo usu pervulgatae primitivaque significationis virtute interdum orbatae totam elocutionem Homericam peculiarem et a stilo carminum similium cuiusvis populi longe differentem reddunt. Obstrictam esse elo-

cutionem tali formularum iteratarum usui in iis potissimum locis maxime quidem appareat, ubi iterata totum versum vel plures versus efficiunt vel in iis iteratis, quæ crebro in carminibus periuntur; quorum locorum semper a plerisque in quæstione tractanda observatorum et allatorum auctoritatem ad quæstionem Homericam solvendam iure negasse mihi videtur Rothius. Sed dissertatione eius edita (1890) omni huic inquirendi generi finis factus est, recte, an perperam, nescio. Nam teste libro Schmidtii, viri optime de Homero meriti, quo iterata Homericæ continentur, longe maxima pars iteratorum in toto carminum contextu tantummodo bis terve reperitur. Quæri potest: cur et quomodo sive idem sive alius poëta tot milia formularum eloquendi in diversis, longe inter se distantibus locis carminum bis terve adhibuerit, *quas iteratas esse nemo interpretum et translatorum umquam sensit*, quas sine Schmidtii libro nos quoque in perpetuum ignoraremus? Fortuito id tot milles accidisse quis est qui credat, quum de iteratis versu singulo minoribus, plus tamen sex moras efficientibus agatur, crebroque eadem formulæ in eodem hexametri pede collocate reperiantur? Iure roget aliquis, num talis iteratorum usus poni, fangi potest sine scripturæ adminiculo? Utcumque res sit, equidem novam iteratorum perquisitionem statistica ratione instituendam maxime necessariam esse censeo. Itaque colligendi sunt omnes loci, in quibus eadem formula *bis terve solum* occurrit, secundumque numerum rhapsodiarum vel melius secundum principales argumenti partes in ordinem redigendi ita ut quivis locus bis terve occurrens bis vel ter in rubricis ad eum finem factis suo loco adnotetur. Forsitan enim hæc procedendi methodus finito labore primo aspectu nonnullas partes carminum nunc inter se longe distantes arctiore vinculo inter se cohærere docebit. Sed perficere hunc laborem mihi ipsi ad hunc diem non est concessum, quamquam plus viginti iam annos abhinc de tota quæstione accuratius disputavi in dissertatione mea inaugurali Academica (summatim tantum edita in Academæ Hung. periodicis anni 1899. p. 465 sqq.), ex qua hos numeros etiam nunc considerandos esse censeo. Nam e 27853 Iliadis et Odyssæ versibus, additis iis, ubi bini dimidiæ versus singulum versum iteratum efficiunt, teste Schmidtio 9253 loci sunt, ubi toti versus iterantur. Quod quidem minoris

sit sane momenti; sed præterea circiter 6000 locorum inveniuntur, ubi iterata versu minora (sed plus sex moras efficientia) *solum bis vel ter in utroque poëmate occurrunt*. Hoc unius hominis ingenio, vel etiam ætati tribui posse indicio translationum ab eodem uno interprete factarum iam tum negavi;⁴⁾ nam nullum interpretem, ne soluta quidem oratione scribentem, ne me ipsum quidem qui *Odysseam prosa oratione translatam edideram*, inveni, qui e centenis locis plus vicenos eisdem verbis eodemque modo vertisset, quamquam in ratione facienda hic etiam totorum versuum translationes comprehendendi.⁵⁾

⁴⁾ Wolfius ipse auctor erat huius rationis negligenda, quum (v. Prolegg. c. XXXI. §. 138) pro suo proposito istam congruentiam locutionum, quam negare non potuit, velut contrarium suæ sententiæ argumentum debilitare studeret, insolentiasque in vocabulis, discrepantias coloris in sententiis perquirendas et ponderandas esse commendaret. Ita factum est, ut nulli usque ad hunc diem in mentem venerit ipsam hanc congruentiam eiusque naturam accuratius perquirere, quæ tamen mea sententia, ut supra exposui, non unitatis, sed diversæ originis suppeditare poterit argumenta.

⁵⁾ Scio præter Wolfium ipsum fuisse complures alios, qui quosdam totum Homerum etiamnunc memoria complecti posse affirmarent. Nullum tamen ipse vidi talem, experientiaque rem secus esse edoctus sum. Et nemo hic mihi obiciat, esse, qui Vergilium aut Horatium totum aut Kalevalam illam Karakirgizorumque vel Serborum cuncta epica poëmata ad verbum edidicerint: nam istud equidem concedo. Sed de Homero longe aliter sentio; nam aliquot discipuli mei, prodigiâ quadam memoria prædicti, qui plus ducentos versus e quolibet textu (etiam prosario) primo auditu memoriter recitare possent, apud Homerum in quinquagesimo quoque versu hæsitantibus, filum perdebant iteratorum causa, si quidem non solum partem recitatam, sed complures alias quoque memorie mandaverant. De me ipso fama est apud discipulos meos, totum Homerum me scire memoriter, quum quemlibet fere versum me afferre posse observarint: sed ego ipse optime scio, idque saepè expertus sum, neque me longiore seriem versuum declamare posse ea ipsa de causa, quod non solum partes quasdam poëmatum, sed universam eloquendi materiam norim, iteratisque occurrentibus ego quoque filum perdere cogar. Hæc de causa puto — quod in inaugurali dissertatione mea Academica (a. 1898) accuratius exposui, translationes quoque ex Homero faciendas non esse unius hominis vel etiam unius ætatis; si autem Homerum hodie perdamus, a nullo mei simili totius summae notitiam habenti, sed coniuncta complurium talium opera restitui posse credo, qui tantummodo partes summæ totius seorsum memorie mandaverint, filumque inceptum ita tenere possint. Supervacaneum puto admonere, hanc meam sententiam etiam ad rhapsodos illos esse ad-

Verum non tantum iterata esse censeo sola propria cum ipsa Graeca elocutione coniuncta, quæ accuratiore per vestigatione indigeant. Nam, quatenus ingentem Homericæ elocutionis litteraturam mihi evolvere contigerat, hucusque omnia fere huius generis studia in questionibus grammaticam ipsam (dialecticam, morphologiam, etymologiam) aut — sed multo rarius — syntaxim spectantibus se contineri intellexi. Itaque investigatio nunc præter syntaxim præcipue ad semasiologiam et chraseologiam accuratius tractandam dirigatur oportet, in usum conversis omnibus scientiæ recentioris fructibus, præcipue iis, quæ in psychologia et chraseologia Wundtio in syntaxis post Hermannum Clasennum Ziemerum Delbrückio Mützenbachero Stahlio debemus. Etenim, ni fallor, ad hoc tempus e. g. ne vocabulorum quidem ordinem Homericum cum carminum formatione coniunctum penitus cognovimus; ignoramus, quæ sint formulæ semper vel plerumque ad eundem pedem hexametri (præcipue ad primum et ultimum) adstrictæ;⁶⁾ quomodo sententiæ cola et periodi inter pedes et metra versuum distribuantur? E ceteris eiusmodi questionibus: quomodo repetite orationes, atque adeo ipsæ non repetitæ difficultate primitivæ orationis obliquæ explicari possint? quatenus ea difficultas universam narrandi formam immutaverit? Quæ sint principales formæ syntacticæ narrandi? quas partes in iis coniunctiones (præsertim e. g. primitivum illud *τάρο*) et particulæ habeant, quante partes in particulis adhibendis metri necessitati sint tribuendæ? Quæ sunt formæ syntacticæ et stilisticæ notissimarum animi perturbationum in orationibus, quæ in narrationibus et descriptionibus, quas partes in elocutione e. g. antithetica constructio, quas generalisatio, quæ dicitur, habeat? Quid de figuris in elocutione Homericæ, quid de tropis?⁷⁾

hibondam, si quis singulos eorum sine adminiculo scripturæ totum Iliadem edidicisse posuerit. Et, si vera est fama de illo Pisistrati collegio, — quod quidem ego in medio relinquere volo — collectionem summæ totius non triam vel quattuor, sed minimum quadraginta hominum coniuncta opera indiguisse arbitror.

⁶⁾ Ut e. g. *αὐτὸς ἔμετα, ἐν δ' ἀρι τοῖσι, τοῖσι δὲ* (hæc plus centies!) *πυρσόδενος, δῶρον, etc. etc.*

⁷⁾ Tropos Homericos nuper Hungarus vir doctus Universitatis Budapestinæ professor p. o. G. Pecz congressit ac distribuit in libro *Σύγχρονη*

secundum recentissima psychologicæ et stilisticæ scientiæ præcepta sit statuendum?

Quæ omnes et similes aliæ perquisitiones, si ad finem fuerint perductæ statisticæque scientiæ ratione auctæ, quantos et quales fructus ipsi Homericæ quæstioni sint allaturæ, interea ne divinari quidem potest, sed etiamsi, ut Fickii, Bechteli dialectologica tentamina, exspectationi communi non respondeant, ipsæ perquisitiones utique sunt necessariæ, ipsarumque disciplinarum, stilisticæ, syntaxis, semasiologie, maximo cum lucro absolutantur.⁸⁾

II.

Ex iis autem eloquendi propriis, quæ minus ab ipsa Græca lingua dependent, etiamque translatione reddi possunt, omnium primum partes poëmatum dramaticam formam habentes, id est orationes a personis poëtæ dictas cum iudicio quam maxime integro atque incorrupto denuo explicandas et interpretandas esse puto.

Antiqui recentioresque interpres sine dubio recte animadverterunt apud Homerum perceptionem et elocutionem dramaticam maxime valere. Sed ut intelligatur, quatenus id verum sit, rationesque eius rei ad partes poëmatum pertinentes distincte appareant, fortasse non erit supervacaneum, si numeros proportionales ad orationum et narrationum rationes spectantes

τροπῶν etc. inscripto (de quo vide Rothii relationem de annis 1910—11, separatim editam apud Weidmannos Berol. 1912. p. 26), quo quamquam solum materiam suppeditat, neque psychologicas usus-rationes exponere conatus est, ea ipsa materia troporum cum aliarum ætatum materia collata probabiles deducit conclusiones ad ætatem carminum pertinentes.

⁸⁾ Americanos philologos (Shewanum, Stawelam, Shoreyam, Bassettum, Scottum, alias) in talibus statisticis perquisitionibus novissime plurimum esse occupatos non sum ignarus. Sed maxima pars earum perquisitionum tantum ad morphologiam ipsam pertinet, neque Scottii liber nuperime editus (John A. Scott, *The Unity of Homer*, California Press, 1921) mihi persuadere potuit investigationes a me commendatas, si modo recte institutæ fuerint, Scottii opinionem esse confirmaturas. (Commentatio quoque eiusdem viri docti de repetitis versibus (1911) unam tantum rhapsodiam Odysseæ (XVI) amplectitur.)

a me constitutos hic summatim exposuero,⁹⁾ non ut ipse argumenta ad fidem rhapsodiarum corroborandam aut diminuendam in hac commentatione inde capiam, sed ut ii, quibus hae quæstiones ultra poëmatum analysim progredientes curæ sunt, iis numeris uti possint.¹⁰⁾

Narrationes in Iliade 8451, orationes 7242 versibus continentur (id est: 53·8% : 46·2%), quibus tamen numeris neglectæ sunt partes narrativæ in orationibus (e. g. Nestoris, Phœnicis, Glauci, aliorum) collocaçæ.

Octo rhapsodiae, in quibus orationes maiorem partem versuum efficiunt, ordine decrescentium numerorum enumeratae hæ sunt:

Rh. IX.	(588—125 versus = 83% = 17%)
XIX.	(282—142 “ = 66% — 34%)
VI.	(325—204 “ = 62% — 38%)
I.	(374—237 “ = 61% — 39%)
XXII.	(293—222 “ = 57% — 43%)
XXIV.	(441—363 “ = 55% — 45%)
IV.	(275—269 “ = 51% — 49%)
X.	(291—288 “ = 50% — 50%)

Sed quoniam veri simile est eloquendi formam eum argumenti genere esse coniunctam, distributio in rhapsodias autem recentioris ætatis est opus, neque semper arguento respondet, memoria repetamus oportet sex prioribus rhapsodiis, ubi narra-

⁹⁾ Cui operi minutioso sane et cum tædio coniuncto fas est errores nonnullos subrepsisse; numeros tamen, etiamsi non ubique prorsus exacti esse invoniantur, in universum parum a veritate discedere puto.

¹⁰⁾ E. g. Bethius (*Homer*, p. 339.) qui quum vestigia illius antiquioris stili canendi (Liedstil) a se positi in I. rhapsodia (et in XVI.-a) detegere et demonstrare studeret, ea vestigia imprimis in scenis pugnas narrantibus observari posse perperam admonuit. E tabella supra edita ipsam I. rhapsodiam quoque non plus 61% orationes continere constat, (XVI.-am solum 46%) cum rh. IX. 83% exhibeat! Adnotandum esse censeo, talem rhapsodiæ IX. naturam iam Eustathium observasse: ἴναγνώς ή ἐσφωάτια, καὶ πολλὴν ἔχουσα δύναμιν ἡτορείας δικαιοκήσις (!) καὶ τίπερ ποιούσα δίλλαχος, ἴντοις τέλος ἐν λόγῳ πολιτικῷ ἡτορείη δύναμιν (!) "Ομήρος ἐπιδείκνυται (!), quamquam ei quoque Homerus perperam ut summus artifex (ἢ ποιητής) videtur esse laudandus, de qua re v. infra.

tiones maxime prevalent, legationem (IX) reconciliationem (XIX) Diomedis et Glauci, neenon Hectoris et Andromachæ colloquia (VI), iram et scenam Olympiam (I) Hectoris mortem (XXII) et Hectoris redemptionem contineri.

Reliquæ rhapsodiae, in quibus narrationes prævalent, eodem ordine enumeratæ hæ sunt: (ubi tamen priores numeri narrationes significant):

Rh. VII.	(246—236 versus = 51% — 49%)
XIV.	(271—251 " = 52% — 48%)
XX.	(272—231 " = 53% — 47%)
VIII.	(297—268 " = 53% — 47%)
III.	(243—218 " = 53% — 47%)
XVI.	(474—393 " = 54% — 46%)
XXI.	(341—270 " = 56% — 44%)
XVIII.	(348—269 " = 56% — 44%)
XXIII.	(543—354 " = 60% — 40%)
XV.	(441—305 " = 60% — 40%)
V.	(568—341 " = 63% — 37%)
XI.	(547—301 " = 64% — 36%)
XVII.	(502—259 " = 66% — 34%)
II.	(604—273 " = 69% — 31%)
XIII.	(578—259 " = 69% — 31%)
XII.	(326—145 " = 69% — 31%)

Ex his rhapsodiis II. catalogum, XXIII. certamina funeralia, XVIII. Achillis arma continere notum est; ceteræ autem omnes pugnas communes, rhapsodiæ XII et XIII. (cum mirabili congruentia numerorum) muri Græcorum oppugnationem enarrant. Que cum ita sint, formam eloquendi cum argumenti genere arctissime coniunctam esse pro certo affirmari potest.¹¹⁾

¹¹⁾ Narrationes centum versibus longiores (e 697) tantummodo 5 in Iliade inveniuntur, catalogus (434 v.), dein: clipeus et arma Achillis (151 v.), Patrocli impetus (XVI. e 146 versibus), pugnae in obsidione (XIII. e 133 v.), Agamemnonis armatura et impetus (XI. e 130 v.).

Etiam narrationes plus 50 sed minus 100 versuum nonnisi 27 locis inveni, maximo numero 3 tantum in singulis rhapsodiis. Nullas autem in his novem: I, II, III, VI, VII, IX, X, XXII, XXIV.

Itaque maxima pars longiorum narrationum, numero 206 (e 697)

Si autem quæras, quomodo explicari possit hoc ipsum factum, quod in poëmate narrativo antiquissimo in universum narrationes minus valeant, ad hanc questionem dupli modo responderi potest, aut *proposito* alicui poëtarum, aut ipsi procedendi *causae* maiorem vim tribuendo. Sed propositum poëtarum aut regularum et præceptorum quorundam conscientiam observationem significat, aut animorum movendorum semper vivam consecrationem; quarum ultraque cum talibus novis quæstionibus ad internam et externam evolutionem Græcae poësis spectantibus cohæret, ut seorsum ab iis explanari nequeat. Nam si

e 10—50 versibus constant, eæque ipsæ plerumque similitudinibus sunt auctæ. Ne 50 versuum quidem narrationem habent hæ rhapsodiae: I. (unam 45 versuum, dein 17); II. (neglecto catalogo); III. (unam 38 v., cum similitudine auctam); VI. (unam 45 v., initio, dein 22 v.); VII. (unam 35 v., certamen singulare Aiantis et Hectoris continens); IX. (unam 34 v., ceteras plerumque infra 10 v.); X. unam 36 v., initio, ceteras plerumque infra 10 v., e singulis versibus 20); XIX. (unam 51 v., ceteras infra 20 v.); XXII (unam 37 v.); XXIV. (unam initio 32, ceteras plerumque infra 10 v., e singulis versibus 18).

Narrationes in tota Iliade 697-ies orationibus variantur, ita ut versum narrantium mediis numerus 12, orationes continentium 10 esse appareat. Sed 220 loci narrantes e singulis tantum versibus constant, qui orationes inducent aut concludunt, suntque plerumque iterati (stereotypi). Plurimos tales versus exhibet rhaps. X. (= decima) = 20; dein I et XXIV = 18; paucissimos (1) rhaps. II. et XII. Plus decies inveniuntur singuli versus in rhapsodiis III, V, XIV, XVIII, XXII.

E reliquis 487 quoque ali 249 loci narrationes tantummodo e 2—10 versibus constantes continent. Itaque duæ fere partes (459 : 697) omnium narrationum tam breves sunt, ut vix sint dignæ narrationis nomine, quippe que ad coniungendas tantum binas orationes valeant. Plurimos habet tales locos 2—10 versus continentis rhaps. XXIII. (22), dein XXI (19), I et XXIV (18). Plus decem hæ: III., IV, V, VII, VIII, X, XV, XXI, XXII. Paucissimos (2) rhaps. XII. Ex quibus rhapsodiis eas, que singulos quoque versus plurimos habuerunt, conspicio genere scripturae notavi.

Hi omnes numeri comprehensi et comparati docent partes narrativas præcipue in duodecim rhapsodiis I, II (neglecto catalogo) III, VI, VII, IX, X, XIV, XVIII (neglecto clipeo) XIX, XXII, XXIV minus in elocutione valere; ex altera parte solito plus habere narrationum rhapsodias duodecim, præcipue autem has septem: V, XI, XII, XIII, XV, XVII, XXIII, — ex quibus rhapsodia XII. optimum exemplum generis narrativi iure designari potest.

etiam huic antiquissimo poesis generi primarium hunc statuas finem ut animos hominum commoveat,¹²⁾ negligi non potest historicā illa quæstio, utrum carmina, ita ut sunt, litterisne mandata sint, an memoriter a poëtis facta, cantuque per rhapsodos edita. Sin vero regulas vel præcepta fuisse supponas, quas poëtae observaverint, nulla invenitur methodus ad quæstionem solvendam nisi ipsorum carminum attentissima investigatio. Igitur in tota poësis Homericæ investigatione, et potissimum in hac parte disceptationis meæ præferenda mihi esse videtur in medio relicita propositi poëtarum quæstione *ipsarum causarum* perscrutatio, eamque in iis, quæ sequentur, adgrediar, præsertim quum novissimos Homericæ quæstionis auctores conscientia sibi poëtarum consilio iusto plus in illis rebus tribuisse video.

Atque equidem in orationibus operibus narrativis insertis semper hoc interpretandi quasi fundamento usus sum, originem earum imitandi studio primitivæ hominum naturæ insito esse tribuendam, orationumque usum in primitivis poësis et prosæ orationis generibus vel ideo carere artificio, quod hæc simplissima eloquendi forma initio sola usurparetur, et posterius quoque facilior esse appareret quam narratio pura, vel cum oratione, quæ dicitur, obliqua mixta, cuius formas apud Homerum et Herodotum nascentes solum videmus, quamque a loquentibus minus eruditis vel admodum iuvenibus etiamnunc prorsus fere neglegi constat.¹³⁾

¹²⁾ Etenim mihi quidem recte sensisse videtur vir ille doctissimus, G. Hermannus in disceptatione de poëseos generibus scripta (opusc. I. p. 24), quum naturam pulchritudinis in hoc ipso sitam esse diceret «quod non certi cuiusdam finis cogitatione, sed quadam tantummodo specie consilii, quæ animi viribus exercitandis accomodata est, indicetur. Nam voluptatem illam, quæ ex pulchritudine percipiatur, non posse pro fine haberi, qui pulchra arte obtineatur». Aristotelem in Poëticis (c. 25) iusto plus ei rationi tribuisse non est quod miremur, quum ea quoque, quæ fieri non possent (*ἀδύοτα*) exemplo ex Iliade sumpto (Hectoris persecutione) poëtae fingere concedendum esse diceret, quo magis animos auditorum commoveret.

¹³⁾ Interpretandi generis semper et ubique poëtarum finem et propositum prædicantis et præ se ferentis primus auctor ipse Aristoteles fuisse apparet, quamquam negari non potest eundem psychologicarum quoque rationum primum inventorem et perscrutatorem fuisse præcipue in Arte

Igitur orationum frequentem et communem usum in primitivis operibus non solum poëticis, verum etiam ad alia genera pertinentibus equidem nulli — non dicam artificio, sed ne sibi quoque conscientiae procedendi rationi tribuendum, verum ipsa natura explicandum esse censeo;¹⁴⁾ veram autem et poëticam fore orationem, si poëtae animus ea fuerit sensuum profunditate et vivacitate, phantasiae fide et varietate præditus, qua personarum mores, cogitationes, sensus, voluntates recte apteque invenire et exprimere possit.¹⁵⁾

Ad quam rem non artificium, non versutum quoddam acumen calliditate et subtilitate excellens, neque præceptorum sibi conscientia et frigida observatio, verum, ut supra diximus, innata virtus cum ingenuitate coniuncta omnium primum requiruntur, præsertim si personarum indoles rei ipsius natura consentanea adhuc et congrua est poëtarum totiusque populi indoli, ita ut observatio hominum in sua aetate viventium poëtae ad recte apteque notandos personarum mores sufficiat.

Itaque originem orationum narrationibus insertarum, non solum apud Homerum, verum apud eiusvis aetatis ineruditos naturæ tribuendam esse diximus; verum quod ad ipsos Græcos

Rhetorica. Sed quum in Rhetorica pertractanda conscientia et tenax propositi animus movendæque auditorum animi semper maximi essent momenti, Aristotelisque et ceterorum — præcipue grammaticorum istorum — animis plerunque artis rhetoricae genus demonstrativum, deliberativum, et iudiciale obversaretur, ita factum est, ut prosæ quoque orationis nonnulla genera negligenter, in arte poëtica autem propositorum finium et effectuum rationibus usque ad nostram aetatem iusto plus tribueretur, eaque pars, quæ in poësi maximi est momenti, quam Græci ἐνθουσιαστὴς, Latini recentiores intuitionem appellant, in interpretandis poëtis iusto minus consideraretur. (Cfr. etiam Eustathii locum in adnot 10) allatum.)

¹⁴⁾ Sunt tamen genera posteriorum aetatum, in quibus dialogi usum ego quoque auctorum (Thueydidis, Platonis, aliorum) inventioni ac proposito sibi conscientia tribuendum, et cum artificio non solum formam, verum etiam res ipsas spectanti coniuncto explicandum esse intellegam. Sed nunc nobis de carminibus omnes artis regulas præcedentibus est agendum; quare minorem sane committemus errorem, si nulla ante Homerum eloquendi præcepta, quam si falsa statuerimus.

¹⁵⁾ Τὸ πρῶτον ἔξι τὸ λέπτη ἡλίῳ παρατηνόν τε καὶ γένετην καὶ τοὺς ὑποκεφαλάρις πρήγματα ἀνάλογον inquit Aristoteles (Rhet. III. 7., initio). Si vis me flere, dolendum est primum ipsi tibi, — repetit Horatius (Ars poët. 102—3.).

pertinet, unum addamus oportet, quod numerorum supra expositorum proportione est demonstratum, Homericorum carminum auctoribus eiusmodi argumenta, vel argumentorum eas potissimum partes fuisse cordi, ubi de humanis actionibus cum animi perturbationibus coniunctis loqui possent, eamque ipsam fuisse primariam causam, cur in iis rhapsodiis, quae pugnas communes non continent, orationes prævalerent. Hæc enim maxime eis occasionem præbebant, ut personas inter differentes et varias rerum conditiones agentes, loquentes, disputantes fingerent et introducerent, qua re non solum ipsi, verum etiam universa Græcorum gens ab initiis usque ad finem maxime delectabatur. Vix enim alium populum invenias, — minime autem Arabes fabularum illarum miraculis plenarum inventores — cuius poëte quum e. g. deorum ipsorum sedes magnifice describi posset, neglectis iis «speciosis miraculis» deorum atque hominum patrem ut maritum cum uxore altercantem inducere prætulissent, cuius sculptores neglectis animalium formis in Parthenonis metopis vel Laocoontis Farnesinique illius «tauri» simulacris humani corporis formam ad sensus et perturbationes animi variabilem effingere sibi proposuissent. Etenim hæc erat ea gens cui omnibus externis rebus ipsa humana natura iam ab initio observatione dignior esse videretur, quæ universam naturam sensibus subiectam ipsosque deos ad suam ipsius naturam transformaret, cui postremo omnium cogitationum et sensuum humanorum scientiam conditam deberemus.

Itaque ad bene constituendam elocutionem sufficere innatam et ingenuam quandam observandi, imaginandi, sentiendi et cogitandi virtutem posuimus. Verum summi ætatis recentioris poëte, Goethe ille Germanorum, Arany noster, ultra has etiam aliarum virtutum poëticarum exempla prodiderunt. Nam iidem, quum ex une parte ingenua omnia exprimerent, quæ ad varias rerum conditiones personis apte concinneque dicenda erant, ex altera parte actionem quoque universam *iam antea constitutam* semper ob oculos habent, præsertimque id agunt, *ut mores personarum antea constitutos semper et ubique sibi constanter exponant*, quamvis ipsi quoque plerumque argumenta non ab se ipsis creata præbeant, sed conscientia sibi animo ea consequentur, quorum fides traditione aliqua historica augeatur.

Utrius generis sint Homericæ poëmata, hæc est novissimæ investigandi ætatis summa quæstio, qua etiam iusta estimatio poëmatum continetur. Præstatne Homericæ elocutio eam — quæ primo loco et a natura ipsa postulatur — orationum cum rebus personas cingentibus congruentiam atque aptitudinem ($\tauὸ πρέπον$ illud Aristotelicum); an alterum quoque perficit, semper et ubique actionem prius constitutam, præsertimque mores personarum sibi constantes notando et respiciendo? Nam si ne primum quidem: universas eruditorum gentes usque ad hanc ætatem errasse apparebit; sin alterum quoque, atque ita, ut poëtam convenit, idest verisimiliter, æqualiter et constanter, eloquendique rationes cum disponendi rationibus pares vel similes animi virtutes et facultates indicabunt ac demonstrabunt: tum nihil obstabit, quominus unum eundemque poëtam fuisse credamus, cui inventionis atque elocutionis maxima pars totaque dispositio tribuatur.

III

Quod ad priorem quæstionis partem attinet, usque ad novissimam hanc ætatem latissime patebat sententia, cui equidem etiamnum assentior, plerasque orationes Homericas argumento et forma omnibus fere universarum gentium poësi quodammodo naturæ esse propiores, non quia Ilias nostra totius Græcorum populi sit opus — quæ sententia explosa iam fere est et obsoleta¹⁶⁾ sed quia primas origines in tam prisca humani generis ætate habeat, quæ omnia artium præcepta et artificia ab ipsis Græcis primum reperta præcesserit, quamquam ex altera parte admirabili quadam virtute sibi innata ad ea ipsa præcepta et artificia invenienda et constituenda philosophis, grammaticis materiam et exempla præbuerit.

Ea tamen convenientia cum natura ita intelligenda est, ut etiam in partibus elocutionis raro ad singulorum hominum mores proprie exponendos valeat. Nam omnes personæ, qualiscunque sint ætatis, sexus, generis, status in universum pari vel simili

¹⁶⁾ Nam ipse Wundtius quoque (in Psychol. Gentium v. III² 1908 p. 389) sine poëtarum vel rhapsodorum cura et ministerio poëmata epica Iliadi similia constitui et tradi posse negat.

modo sentiunt et loquuntur, quia poëtarum sunt fictiones; poëtae Homeric autem omnes pari fere sunt ingenio, quippe qui ætati eruditioris politiorisque societatis, quæ primas subtiliores sentiendi et cogitandi differentias protulit, antecesserint.

Differentia quædam morum certe quidem etiam apud Homerum in personis effingendis observari potest. Certum est Achillem immensum quantum distare a Nestore, Hecubam ab Helena. Verum eæ differentiæ non obstant, quominus formas personarum singulas, ut ita dicam, typicas esse sentiamus, cum differentiæ plerumque in una tantum aut altera proprietate, fortitudine, prudentia, eloquentia, celeritate, corporis magnitudine, venustate constant, ceterarum autem (si Thersitem in Iliade, Cyclopem et procos in Odyssea exceperis) plenam fere ac perfectam congruentiam ostendant.

Ea autem elementa, quæ plus aut minus omnium personarum sunt propria, longe abest ut nobis cuncta virtutes sint nominanda. Partem — ut ipse eam nominavit — rationalem (*λογικές*) animi, quæ perturbationes et cupiditates imperio suo compesceret, Plato nobis detexit et constituit; itaque apud Homerum plus iusto valent quedam vitia cum iuvenili ætate ubique coniuncta: sui et suorum amor, aliorum et alienorum nulla fere reverentia, interdum cum acerbitate, crudelitate coniuncta; vicissitudo officiorum, verum ita intellecta, ut gratia quidem tantum si non nimis sit molesta, reddatur, iniuria autem et contumelia semper et cum voluptate vindicetur; intemperentia, vehementia modum excedens in actionibus et orationibus, studium rerum in maius auctarum. Iis tamen vitiis, ut supra dictum est, in puerili societate semper et ubique apparentibus accedit quedam Græcorum animi proprietas mea quidem sententia a recentioribus parum notata, ieunitatem et sobrietatem illam dico iudicandi et imaginandi, quæ efficit ut rerum pulchritudine multo magis extollatur id, quod sibi quisque utile fore censeat, quæ non tam miraculis rerum fictarum quam utili veritate vel veri simili utilitate delectetur, quæ ubi de recto bonoque rerum paratarum ordine atque usu agitur, tam procul absit a levitate et incuria, ut ne minutissima quidem ac nimis accurata diligentia (Pedanterie) abhorreat, sin autem vanæ phantasiae species vel res miraculose fictæ sint narrandæ, tam levi-

ter et negligenter ea, utpote nugas gravitate carentes, percurrat, ut partes et elementa istorum miraculorum ac portentorum raro sibi constent, rarissime uni formæ reddantur, plerumque aperte sibi repugnant ac discrepent. De qua Homeric ingenii proprietate ea de causa lectorem pluribus commonere volui, quia a novissimis quæstionis auctoribus ubertatem (Üppigkeit) et luxuriam quamdam Homericæ phantasiae prædicari laudibusque ad cœlum ferri video. Quibus assentirer, si tantum de varietate et mobilitate quadam imaginandi e negligentia pène sibi conscientia oriunda loquerentur; verum, quod ad ubertatem, luxuriam, vigorem et vim sibi constantem pertinet, quam exilis et tenuis, eademque sana sit Homericæ phantasia, maxime apparebit, si miracula Homericæ inepta sibique repugnantia miraculis Arabum fabularum minutissime effectis, e. g. Cyclopea cum Sindbadi illius simili narratione comparaveris.¹⁷⁾

Taliū personarum typicarum una vel altera tantum proprietate eminentium ceterum autem pène aequalium orationem atque actionem sibi constantem multo facilius fingi posse, quam personarum e nostra ætate sumptarum, non est quod admoneam, neque erit admirandum, si huius generis constantiam apud Homerum in constituenda actione, notandis moribus personarum non omnino deesse apparebit. Ex alia parte autem non neces-

¹⁷⁾ Sæpe me discipuli mei (et minimus quisque maxime) in V. gymnasii classe, — nam in gynasio nostro seminario magistorum adjuncto Græcæ linguæ studium semper cum Homero incepimus — quæstionibus obruerunt, quomodo Cyclops altissimo monti similis (Od. IX. 191.) oves suas mulgere potuerit, siquidem eæ et vasa ad mulgendum apta ut e versibus 220., 429., 423. et 223. elucet, communi fere orant magnitudine; sin autem agni et vasa ingentia sunt imaginanda, cur Ulices et socii aliquo prudenteri herum istorum monstrorum in antro manentes expectaverint? Item, utrum filia quoque Antiphatis (Od. X. 105.) ingenti quadam magnitudine, an communi forma sit fingenda, quippe quam Ulices et socii bona spe repleti in urbem Læstrygonum secuti sint? Contra, quæ sit absurdæ fictio, Homericæque sobrietati contraria fluvium igni inflammari (XXI. 356. 361.) et ita subigi? Neque talem imaginandi negligentiam discipuli mei pro virtute poëtae imputare voluerunt, donec intelligerent, Homericis poëtis non tam nugas istas fuisse cordi, quam negotia lactis producendi et in usum convertendi, quemadmodum etiam apud Læstryones poëta noctium brevitatem indicata confessim duplice mercede ibi reportandam admonet. (Od. X. 84.)

sario diversæ partium origini erit tribuendum, si in plerisque orationibus Homericis propositum oratoris actioni congruum neglectum, perturbationibus animi loquendo nascentibus devictum esse inveniemus.

IV.

Sed pergamus ad formas eloquendi his animi Homerici elementis accommodatas, easque paucis exponere experiamur.

In orationibus Homericis perturbationes motus impetus animi sentientis eas partes gerunt, quibus tota elocutio, ut ita dicam, imbuatur vel inflammetur. Imprimis per ea hæc prima orationum disponendarum lex sine ullo artificio, natura ipsa duce constituta est, quam postea ars et disciplina rhetorica observavit et definivit. Nam omnis elocutio ab affectibus proficiscitur, quibus sedatis et ad purgationem (*χάθαρσις*) quamdam perductis orator tandem ad sententias tranquillius exponendas pervenit. Cuius dispositionis indicia sunt: interiectio statim ab initio, tum sententiae commotæ, idest convicia, laudationes, vituperationes, blanditiæ et cetera similia, si stilisticam rationem spectes per quæstiones, exclamations, insomnium verborum ordinem expressa, item per ceteras formas stylisticas rebus in maius auctis (exaggerationi) accommodatas e. gr. per usum vocabulorum gravium (*λεί, οὐποτε,* etc.) formarum grammaticarum generale quid significantium (imperfectæ actionis, e. gr. e I. rhapsodia: 107.: *μαντεύεσθαι*, 109.: *ἀγορεύεις* 130.: *μὴ χλέπτε νόμοι* 161. *ἀπειλεῖς*, 163. *ἔχω* 166. *διέπουσι*: 168. *ἔργομαι* etc.; gradus superlativi: I. 121. *φιλοχτεανάτατε* 176 *ἔχθιστος* etc. etc.) Eruptionibus affectuum interdum complexa est vel iis antecedit enumeratio causarum perturbationis, per sensus oratoris, visum, auditum perceptarum. Ita expletis et sedatis animi motibus tandem exponuntur, plerumque per famosam illam coniunctionem *ἄλλα* adiunctæ, eæ sententiae, si quidem sunt, que ad ipsam mentem auditorum vel (in soliloquiis) ipsius loquentis diriguntur, consilia, desideria, optata, vota, ceteraque animi sedatioris indicia.¹⁸⁾

¹⁸⁾ Si respondetur in oratione, primo loco non ad priorem sed ad graviorem quæstionem responderi solet, quæ quamquam ordine posterior, animum respondentis proprius attigit, vel certe in memoria eius propiore loco est recepta et reposita. (*Τοτερον πρότερον θυμητικός*, ut ait Cicero.)

Ita efficitur, ut cum Wolfio loquar (Prolegg. XII.), ut orationes «admirandam quamdam ostendant vim naturæ atque ingenii, minorem artis, nullam *reconditae doctrinae et exquisitæ*, omnemque illam artem naturæ quodammodo propiore esse appareat . . . ex nativo sensu recti et venusti delibatam».

Hæc primaria et quasi schematica eloquendi forma multifariis mutationibus est subiecta, sed secundum vim et varietatem affectuum semper naturæ humanae convenienter. Inveniuntur in Iliade orationes, quæ tranquilliore illa secunda parte omnino careant; hæc orationes partim tantum animi explendi causa dicuntur, vel certe nullo alio proposito, nisi ut auditores dolore, — rarius gaudio — afficiant, partim simul hoc cum proposito, ut per affectum (timorem, pudorem etc.) suscitatum ad agendum vel desistendum auditores impellant. Prioris generis præsertim Iovis vel Achillis inveniuntur orationes; alterius permultæ exstant exempla, e. g. in Agamemnonis epipolesi ab eo vel ab Hectore ad Paridem dictæ orationes. In iis secundi generis orationibus, et aliis permultis, quibus consilium quoddam mutandi status rerum appetet, primitiva fortasse alicuius artis rudimenta detegi possunt; non tamen semper et ubique; nam affectus animi, dum persona loquitur, ac semet ipse incitat, interdum tanta vi resurgunt, ut orator perturbatus incepti consilii plane obliviscatur. Quod maxime appetet in iis orationibus, quæ manifeste a consilio affectus cuiusdam leniendi ordiuntur, sed in ipsa oratione invito oratore ita transvertuntur, ut finem et effectum consilio contrarium habeant.¹⁹⁾ Cuius generis sunt plerumque consolationes Homericæ, e. g. Agamemnonis ad Menelaum vulneratum, Hectoris ad Andromacham angoribus excruciatam, ambœ iisdem formulis, iisdem locis communibus constructæ, in Odyssea autem Tiresiae²⁰⁾ orationes vel Ulixis

¹⁹⁾ Ut oratio magistri Iudi e Germanorum periodico Folia Volantia inscripto memorati, qui quum superiorie die ob fractum horologium ira inflammatus discipulum quemdam virgis cecidisset, noctuque decrevisset ei publice se satisfacturum, postero die ita id consilium suum in classe peregit, ut primo quidem discipulum consolaretur, dein obiurgaret, postremo autem suis ipsius verbis memoriaque fracti horologii inflammatus iterum virgis cæderet.

²⁰⁾ Ignoratum rerum enunciatio loquentem nativa quadam superioris potentiam conscientia complet; quo fit ut vates, nuncii, non solum apud

ad socios (X. 189. sq.). Ea Iliadis scena, ubi eloquentia sibi conscientia, ad propositum semper adhucrēns maxime esset necessaria, sine dubio legatio ad Achillem designari potest, quacum fortuna omnium Græcorum totiusque actionis futura ratio arcuissime est coniuncta, ita ut tres illas orationes persuadere Achilli cupientes omnia eloquentiae Homericæ subsidia exhibere probabile sit. Quæ cum ita sint, quæro, num cogitari possit secundum artis rhetoricae præcepta ineptius, sed ad præsentes Ulixis animi motus accommodatius quam peroratio Ulixis, ubi hic heros angoribus suis permotus omnia sua priora argumenta irrita fere reddit ultro supponendo Achillem aspernaturum esse Agamemnonis promissa et dona? (IX. 300.)²¹⁾

Quoniam autem ars dicendi ibi originem habet, ubi mens ac iudicium subactis animi perturbationibus tranquillum et sobrium eos inveniendi locos easque eloquendi formas deliberare ac ponderare incipit, quæ opus sunt ad propositum orationis perficiendum: qui apud Homerum artis rhetoricae rudimenta quaerit, eas orationes omnium primum examinare debet, in quibus persona poëtæ *simulatione* utitur; nam in huius generis orationibus consilium sibi aliquatenus conscientium omnino deesse certe non potest. Non est mihi nota commentatio, quæ simulatas has orationes hoc fine perquisiverit, nequedum ego ipse omnes huius generis orationes «lucrosas» (*χερδαλέας*), e. g. Minervæ, Ulixis (Od. XIII. 297.) singillatim mihi explicavi: spero tamen me a veritate non discessurum, si has quoque a vera rhetorica arte ac disciplina longe abesse contendo. Nam, quantum video, propter ipsam Homericæ ingenii mobilitatem simulatae quoque orationes tunc solum prospere evenire solent, quum orator per contumelias simulatas aut per irrisiōnem auditoris animum commovere, et per affectus ita suscitatos aliquid perficere studet. Cuius rei exempla non sunt rara apud Homerum.

Homerum, sed in tragœdiis quoque Græcorum omnibus non magis erigere quam exterrere animos auditorum velle videantur, raroque etiamnum inveniatur malorum nuncius, qui officio suo moderate defungi valeat.

²¹⁾ Cfr. etiam in Odyssea Telemachi orationes (in I. rhapsodia, præsertim v. 130—145) ubi Telemachi verba minime sunt apta ad perficiendum eius propositum, sed animo explendo tantum inserviunt. Sed hic iuvenis imperitus, in Iliade vero sapientissimus Græcorum inducitur.

Videlicet naturæ puerilis ætatis non est aliena voluptas ex alterius vituperatione vel ludificatione oriunda. Sed istud puerile genus ludificandi longe distare ab eruditiorum urbanitate et salibus non est quod miremur, ex altera autem parte per ipsam simulationem naturæ quoque præcepta, Homericæ elocutionis sola fere adminicula, interdum offendit. Tales sunt plerumque simulatae orationes potentissimorum, quibus οὐδὲ ξπι: δέος, maxime autem Iovis, quotiescumque deorum atque hominum pater in liberos et coniugem iocis illis asperis et illiberalibus, cum meledictis et minis coniunctis invehitur, quibus interdum ipse non nisi irritare et temptare velle auditorum animos libere confitetur (VIII. 39.).

Itaque et in his orationibus ludibriū vel contumeliam continentibus, et in aliis simulatis orationibus constans et propositi tenax oratio ibi solum invenitur, ubi rerum rationes et condicione, in quibus propositum peragendum est, non sunt tam intricatae et multiplices, quam e. g. in oratione Agamemnonis exercitus animum pertemptantis (II. 110—141.), qua ad leges artis rhetoricae ineptiorem,²²⁾ ad veritatem vero affectuum variorum inter se pugnantium excellentiorem vix in tota Iliade invenias. *Nimirum poëlae ipsi carebant ea disciplina animi, qua in condicionebus rerum solito magis variarum et implicatarum idem propositum longius et constantius observare et tenere possent.* Quatenus ingenium naturali quadam simplicitate praeditum sufficit, omnes plus aut minus excellunt: verum ubi artis sibi conscientiae fines incipiunt, veluti infantes nostræ ætatis cadunt et surgunt ut porro titubent, cadant. Quamquam ars rhetorica Homericæ rectius non cum eloquentia infantium admodum tenerorum comparatur, sed puerorum nostræ ætatis cogitare iam incipientium, atque adeo decori quedam sensum et artificiosæ mentis rudimenta habentium, quorum oratio ubi non natura ipsa dirigitur, argutiis potius quam arte, iisque propo-

²²⁾ Scio Ps.-Dionysium (Ars, p. 67. 22. Us.) de hac Agamemnonis oratione, quam ut exemplum simulatarum orationum (λόγοι ἐσχηματίσμοι) affert, longe aliter indicasse. Sed huius auctoris sententiam, qui e. g. in Aiantis oratione IX. 624. ἀπλάτην προσποίησιν detegit, iure mihi negligere video. Grammatici est ista sapientia a natura immensum quantum remoti. (Cfr. adnotationes meas 10) et 13.)

situm modo observantibus, modo negligentibus est conspicua: quo efficitur, ut omnibus auditoribus qui iuventutem cum amore et indulgentia persequuntur, imbecillitate et simplicitate aetatis intellecta voluptatem quamdam afferant, quum contra nimium recentioris aetatis artificium et diligentiam peccare videantur.

V.

Saepe tamen hic effectus nativæ ingenuitatis perturbatur duabus Homerici elocutionis proprietatibus, quarum utra in singulis locis ponenda sit, interdum ambigi potest: partim eloquendi ubertate et varietate, partim ex necessitate, qua poëtae posteriores ad normas poëticæ elocutionis ab antecedentibus acceptas elocutionem suam accommodare coacti sunt, quam brevitatis causa formæ necessitatem deinceps appellabimus. Quantopere hæc due proprietates illi simplicitati naturæ nostro quidem sensu repugnant, quivis intellectus, qui orationes Homericas secundum Boëtii præcepta clara voce umquam recitare temptavit.

Quamquam alterum quidem elocutionis proprium, ubertas illa ac varietas, etiam si iustum modum excesserit, non secus naturæ est tribuendum, quam cetera; nam originem inde dicit, quod studia aetatis puerilis in omnes fere res facile dividuntur. Omnes vidimus infantes lacrimis non impediri, quominus novam quamdam speciem sensibus obiectam percipient eaque delectentur, paullo post autem rursus ad lacrimas revertantur. Conspicua atque etiam molesta et inepta tum solum apparent nobis retentioribus occupationis haec varietas, quum oratio, etiamsi ad pristinam rem redeat, aequo plus vel pluries rebus ad propositum parum pertinentibus suspendatur et distrahat, itaque unitate, quæ per partes singillatim tractatas et auctas quasi evanescit atque absunitur, nostro iudicio caret. Ita efficitur ut poëtae Homerici præsertim in condicionibus rerum solito intricatoribus *ne in singulis quidem orationibus totum ponere valeant*. Augetur autem hæc ubertas sermonis ab altera quadam simplicioris naturæ proprietate, gravitatis et auctoritatis illa affectatione, quam in sermonibus minus eruditorum etiamnunc optime observamus. Inde fit, ut e. g. ii qui apud Homerum

aliis opem ferendi causa inducuntur, plerumque e conviciis vel vituperatione orationis exordium sumant. (Cfr. e. g. V. 800 sq.) Item personæ Homerice, si quid interrogant, suis coniecturis responsa anticipare, si respondent, prius coniecturas interrogantis refutare solent, ut ista mora gravitatem et vim veritatis ad finem relictæ augeant. Qua ipsa psychologica causa explicatur proprietas quedam universi Græcorum stili notabilis, etiam apud prosæ orationis scriptores semper occurrentes: nam Græci, si quid gravius vel maius enuntiare vel narrare incepunt, priusquam principalem sententiam exprimant, aliis sententiis, iisque plerumque contrariis interpositis eam preparare et efferre solent, ut velut novo impetu ad eam revertant; cuius quidem inculcatæ sententiae celebris coniunctio est illud μὲν parentheticum, principalis vero sententiae in prosa oratione plerumque εἰ (quod rursus e δευτὸν γάρ et similibus locutionibus dependere solet), apud Homerum autem famosum illud ἀλλ' ὅτε (οἵ)... quod interdum bis, ter, est ubi quater propter intermixtas sententias repetitur. Quarum constructionum alteram causam non magis consecrationem effectus sibi consciac esse puto, quam, de qua supra dixi, eiusque vestigia alibi quoque inveniuntur, nativam et nimiam diligentiam inter multifarias occupationes omnia quam minutissime peragendi (embarras de richesse).

Eadem sunt varietatis eloquendi causæ etiam in iis locis, ubi narratio per illud ἀλλ' ὅτε (οἵ) inchoata subito descriptione, interdum per multorum versuum spatium, interrumpitur et suspenditur, quod quidem tam ineptum et rude esse nobis videtur, ut translatione vix redi possit. Etenim orator ad novas res enarrandas festinat, quæ iamdudum principalem locum in animo suo tenent, neque tamen se continere potest, quin inchoatae principali sententiae alias quoque notiones minus graves, sed necessarias pro commentario interponat. Ultima igitur causa huius eloquendi formæ eadem esse apparent, quæ ceterarum: *inopia disciplinae et moderationis, vehementia quaedam animi et procacitas*, quæ tamen apud Græcos non omnino valere potest, quia contrariis quodam modo proprietatibus, *sobrietate illa et minuta diligentia* corrigitur. Itaque hæc et similes constructiones logica quidem ratione iure condemnantur, excellunt

autem psychologico vigore et vi, quippe quæ in conspectu nostro ut ita dicam nascantur et formentur.²³⁾

Sed accedit, quod talium locorum effectum perturbat illa altera, Homericæ elocutionis peculiaris proprietas, quam supra necessitatem formæ appellavimus. Nam præcedente atque efflorescente poësi epica poëtis, nisi ipsi quoque satis ingenio pollebant, ut novas formulas novasque constructiones argumentis novis, antiquis similibus, neque tamen paribus invenirent, hæc novæ provectionis ætatis argumenta, affectus, notiones iis formulis et constructionibus exprimenda erant, quæ a maioribus inventæ et longinquo usu pervulgatae primitivum illum vigorem amiserant. Itaque in multis locis poëmatum tales formulas ad res et personas novas parum accommodatas, atque adeo ineptas esse sentimus.²⁴⁾ Quamquam usus earum quod ad causam effec-

²³⁾ In hæc eloquendi proprietate per contraria (ἀντίστοιχον) valente interdum primitivam quamdam propositi consecrationem non negaverim, sed talem, quæ in sermonibus ineruditorum communissima est. Nam poëtæ, si quid e dictis personarum nimio quodam modo extollere student, per alterius cuiusdam personæ inconvenientem vel sepe etiam absurdam quæstionem, suppositionem, observationem, consilium, ansas loquenti dant, ut voluntatem suam maiore cum gravitate exprimat; idque ita, ut interdum dubium sit, serione, vel simulatione (per ludibrium) ista prima persona loquatur, quæ illam quæstionem vel observationem fecerit.

Cuius rei notissimum est exemplum Stheneli fugæ capiendo consilium ad Diomèdem (V. 249—50.) vel quæstio Eteonis absurda de pellendis hospitibus (Od. IV. 26—29.), quæ manifeste ideo tantum adhibetur, ut hospitalis animus Menelai (qui sodalem respondingo ut stultum vituperat) vel cum damno alterius personæ extollatur. Idem repertus, sed in simulata oratione, ubi dea Idothea ad Menelaum loquitur (Od. IV. 372.). In Iliade Thersitis partes hue pertinent, cui parcendi nullam sane habuit cansam poëta; sed rei ratione accuratius considerata etiam Agamemnonis de fuga Achivorum consilium (II. 110—141 simulatum, sed XIV. 74—81. serum) eodem spectat, quod eo est notabilius, quia ita summi imperatoris auctoritas diminuitur, ipseque ignavus inducitur.

Eorum locorum ii tantum intelligi et defendi possunt, ubi simulatione, vel, si serio, a stultis agitur, neque maioris momenti est ipse locus in actione formanda. Verum ubi Agamemnon vel ipse Juppiter (IV. 8—19. XVI. 433—438. XXII. 168—176.) in actione tota dirigenda talia molitur, adest suspicio artificiosæ cuiusdam machinationis unitatem actionis vel cum damno personarum constituere studentis.

²⁴⁾ Idem lector benevolus fortasse constituet de disceptationibus meæ similibus, latine de talibus rebus scriptis, quæ recte sineque iacturis exprimi

tumque pertinet, non semper et ubique tam simplex fuisse apparat: immo vero inveniuntur loci, ubi ipsi poëtæ quoque priscum illum nativitatis sensum percepisse videantur, eaque ipsa de causa, non solum cœca imitatione adducti adhibuisse eam formulam (locutionem vel constructionem), quam ad status rerum et subtiliorem personarum naturam exprimendam non omnino aptam esse ipsi sensissent, sed ut vulgarem et ab omnibus exspectatam novæ euidam formulæ prætulissent. Quo factum est ut e. g. in Odyssea Penelopa, in Iliade Andromacha iisdem verbis parum teneris filii aut mariti e virorum coetu ablegarentur, quæ in similibus sed non paribus ab initio usurpata auditoribusque cunctis nota erant.

Hæ duæ principales Homericæ dictionis proprietates, varietas cum naturali quadam ubertate coniuncta et formæ necessitas efficiunt, ut nobis recentioribus permulta Homericæ orationes ad recitandum difficillimæ videantur, præsertim si partes laxiore filo adiunctæ vel usu tritæ inter vehementiores orationes partes sint recitandæ, ita ut commota vox subito sedatori, hec rursus vehementiori cedere cogatur. Evidem tamen memini innumeros meos discipulos hac recitandi varietate initio quidem plerumque percelli, sed posterius hac ipsa vocis discrepantia magnopere delectari, præsertim si partes sedata voce et cito recitatæ ex iteratis sibi notis constitissent. Probabile est etiam veteres carminum auditores hoc modo recitationem carminum excepsisse, quamquam euidem minime ad Boëltii opinionem iurare ausim, contendentis recitationem antiquorum quoque rhapsodorum quam maxime vivacem et naturæ accommodatam esse fingendam; scio enim Græcos, saltem in flore ætatis iis concessæ viventes in omnium fere artium generibus equatum et moderatum quemdam stilum adpetiisse, quæ contrariorum oppositione non omnino abhorreret, sed tamen nimium eorum certamen (Kontrast) naturali quodam decori sensu tollere ac lenire studeret.²⁵⁾

nominis in recentiorum lingua cum notionibus ipsis nata et exculta possint. Quæ de causa tamen id fecisset, in præfatione exposui.

²⁵⁾ Id tantum cavendum esse puto, ne forte Homericæ versus voce pietate et admiratione plena (salbungsvoll) ad modum Klopstockii vel sacrorum librorum versuum recitentur, ne tum quidem, cum de alioquin

Quam ambigua et debilia argumenta hae omnes Homerici sermonis proprietates *separatim consideratae* ad originem carminum detegendam præbeant, nemo non videt. Nam magna pars eorum locorum, nostro iudicio contextui parum accommodatorum psychologica ratione ex ipsa poëtarum primitiva natura explicari potest neque umquam aliam explicationem desiderasset. Sed iudicium nostrum suspendere debemus, donec etiam compositionem universi poëmatis consideraverimus; nunc ad elocutionem in partibus poëmatum *narrativis* investigandam pergamus.

VI.

In his partibus non aliorum verbis, sed ipse suis poëta ad nos loquitur; aut narrat aliiquid aut describit. Sed, quod maxime singulare est ac notabile, iidem poëtæ Homericæ aetatis, qui in orationibus personis suis tantopere consentire potuerunt, qui se in locum personarum transferendo ubique affectus et perturbationes animi primo loco et præcipue expresserunt, quum ipsi loquuntur — si perpaucia vestigia iam pridem ab interpretatoribus notata negligas — affectibus omnino carent vel certe suis ipsorum affectibus repressis nonnisi res ipsas magna cum animi tranquillitate narrant aut describunt. Unica fere forma vehementioris elocutionis apud eos personarum sunt orationes, ita ut cunctis quæ ad affectus animi exprimendos apta erant, per eas expressis sibi ipsi nihil in hoc genere reliquisse videantur, quo ipsorum animus commoveri, perturbari posset.

Quæ observatio in ea forma expressa incredibilis et absurdæ esse appareret, nisi constaret narrationem puram, ut iam initio diximus, tantum sedato et tranquillo animo esse facilem, inter perturbationes vero animi, præsertim si personarum quoque affectus et cogitationes narrator complecti velit, vel idecirco non posse constanter conservari, quia orationis quæ dicitur obliquæ gravibus vel tristibus rebus in iis agatur, vehementerque gaudeo hanc meam opinionem per quadraginta annorum seriem apud nos prædicatam (et sœpe a multis vituperatam) nunc a principibus disciplinæ nostraæ viris esse corroboratam.

formæ admodum sero apud ineruditos effingantur et pervulgentur, atque etiamsi iam sint et vigeant, poëticæ elocutioni natura magistra parum idoneæ esse sentiantur. Sunt igitur certi fines,²⁶⁾ ubi narratio inchoata quasi naturæ quadam necessitate in orationis²⁷⁾ vel dialogi formam transire cogitur; sed ea necessitas apud Homerum non solum natura, idest affectuum vehementia,²⁸⁾ verum etiam interdum usu atque accommodatione (ut formæ necessitas) explicatur.²⁹⁾

Hæc eadem est vera causa, cur poëta, ubi ipse loquitur, sedatiore genere narrandi uti videatur, quo — exceptis perpaucis (præcipue in similitudinibus) vestigiis — obiectivæ narrationis vel ipsius, quæ dicitur, obiectivitatis toties prædicatæ exemplum toti posteritati præbuit, ubi tamen memoria tenere debemus partium narrativarum longiorum eam raritatem, quam supra demonstravimus.

Ac maxime conspicuum signum illius obiectivi animi hæc mihi videtur proprietas Homericæ narrationis, quam apud veteres³⁰⁾ iam recte notatam, apud recentiores vero, præsertim apud

²⁶⁾ Quos nondum accurate descriptos, neque adeo fortasse inventos vel quæsitos esse vehementer miror.

²⁷⁾ Nempe soliloquii, nam poëtæ personarum affectus, cogitationes nonnisi ipsarum verbis exprimere possunt, de qua re vide supra.

²⁸⁾ Quemadmodum in quibusdam novi r̄evi generibus dialogus in partibus lyricis musicæ et cantui cedit. Ubi tamen notandum est, esse apud Homerum orationes, quæ gravitate et vehementia carentes nobis parum illi mutationi subitæ convenire videantur, quæ igitur ea ipsa de causa inceptæ nobis appareant. Quod maxime conspicuum est, ubi singuli tantum aut perpauci versus narrationi intermixti sunt, e. gr. IV. 82—84, VII. 179—181, qui interdum ne ad mores quidem loquentis pingendos valeant, e. g. Od. VII. 342. Quantopere autem hoc eloquendi genus etiam nunc vulgatum et commune sit apud ineruditos, non est quod admoneam; vide, quæ de affectata gravitate supra dixeram.

²⁹⁾ Ut e. g. loci in præcedenti annotatione citati, ubi de sententia auditorum communis agitur, cfr. etiam III. 271—277, 298—301, 320—324, VII. 202—205, XVII. 415—419, 421—422, nam tales sententiae semper formula illa: ἀδε δέ τις εἰπειν εtc. (per formæ necessitatem) inducuntur.

³⁰⁾ Auctor libelli Περὶ Ὑψους inscripti (quod aliis quoque observationib⁹ subtilibus abundat) iam intellexit, hic non de narratione sed de enunciatione rerum velut in conspectu nostro actarum esse loquendum. Itaque: "Οταν γε μὴ — αἴτ in cap. 25. — τὰ παρελθυσάται τοῖς χρόνοις εἰσάγεις ὡς γιγνόμενα καὶ παρέντα, οὐ διήγησιν ἔτι τὸν λόγον ἀλλά ἐναγόντινον πράγμα

interpretes plerumque neglectam vel perperam explicatam esse invenio. Nam in Homericis carminibus nusquam ea præsens verborum forma occurrit, quæ a grammaticis perperam historicæ appellata est, quasi partem narrationis, et quidem, ut aiunt, vivacioris efficiat. Novæ psychologiæ ratione ea proprietas sic est definienda: poëtarum Homericarum phantasia nunquam ad eum gradum vivacitatis et vehementiae progreditur, ut semet ipsos inter res ab aliis alibi alio tempore gestas transponant, transfigant; igitur nunquam eas tamquam in conspectu suo nascentes (*γεννόμενα*) vel natas (*γεγονότα*) vel futuras (*γενησόμενα*), nuntiant, monstrant, sed veritati rerum se cingentium quasi adstricti ab iis rebus fictis vel memoria repetitis semper certo temporis spatio se distare sentiunt: itaque ea, quæ præterita sunt, semper præteriti formis (*ἔδιδον, ἔδωκε, ἔδεδώκει, ἔδόθη*) enarrant. Non solum futurum tempus, quod tam commune est apud Francogallos, sed ne perfecti quidem presentem (rectius: achronisticam) formam (*ἔστηκε, δέδωκε, βέβηκε, δέδορκε* etc.) per illam translationem narrationi intermixtam apud Homerum invenias, neque posterius in universa Græcorum classicæ ævi litteratura, quamquam ipsum præsens illud historicum apud Graecos quoque inde ab Herodoti et tragicorum temporibus maxime in usum venit.³¹⁾

ποίησις, caue observatione omnibus grammaticis, qui hic usque ad nostram vestem de vivacitate *narrationis* et de *repræsentatione* perperam loquuntur, quod ad psychologiæ rationem attinet, veram viam monstravit. Sed de Homero nullam facit mentionem, et verbi formarum tantum præsens, quod dicitur, historicum intelligere potest; neque enim Græci eas formas hue complecti potuerunt, quæ, ut supra dixi, in recentiore tantum novarum linguarum elocutione ita usurpari coepit sunt.

³¹⁾ De temporibus verborum eorumque usu accuratius disputavi in magna mea dissertatione ab Academia Hungarica in periodico «Nyelvtudományi Közlemények» 1907—1914 edita, cuius summam mox etiam latine edere mihi in animo est, cuiusque principale argumentum, totiusque discipline primordia iam anno 1887 explicavi in periodico «Magyar Tanfúgy», inscripto (p. 463—473).

Non ab re fore censeo, si recentioris illius elocutionis exemplum, quod pro narratione per transfictionem (sit venia verbo a me creato) usurpatur, e communissimo et notissimo fonte haustum apposuero; gallicum idecirco elegi exemplum, quia in hac lingua, ut supra dixi, etiam futuri temporis frequens huiusmodi usus invenitur. Hic habes exemplum

Inter narrationes ab ipso poëta traditas et orationes personarum permotionum plenas medium quemdam locum tenent tales personarum orationes, in quibus narrationes quoque continentur. Nam poëtæ Homericæ non arte sed natura adducti noverant hanc indirectam quoque narrationis formam, ubi res enarrate, quamquam e materia tradita dependentes eamque conservantes per affectus loquentium moderate et amplificatae fortius auditorum animos commovent.³²⁾

Quatenus hæ narrationes ceteris ab ipso poëta traditis sint mobiliores, affectibusque divitiores, opera pretium esset accuratius investigare; nam nimia mutationes formæ ac traditione quantumvis impeditæ fuerint, certum est plerasque non ea animi tranquillitate esse conceptas et compositas, qua ab ipso poëta referrentur.³³⁾ Itaque in hoc quoque genere maioris momenti

(Illustration, ann. 63., 1905. 23. dec.): «John Rockefeller naquit en 1839. D'abord il partageait les traveaux de la ferme paternelle etc. Hactenus narratio rerum præteriorum tranquilla, quæ apud Homerum sola invenitur. Sequitur elocutio illa novi generis, in qua scriptor repente se in medias res transfert. «Le voilà lancé dans la carrière des affaires. Il est entré par une barrière étroite... mais qu'importe? Désormais sa marche progressive ne s'arrêtera plus, sa volonté implacable ne connaîtra plus d'obstacles.» Notandum: quotiescumque in libro Gallico inter narrationes novam aliquam partem, sive novum caput invenias, quæ per il a donné, il est venu inchoatur, pro certo scire poteris in ea parte transfictionem illam esse formarum eligendarum causam, neque in eadem parte alias formas, nisi has ipsas perfecti formas, vel sorores earum, præsens historicum, vel futurum invenies. Narrandi formas gallice sunt: il donnait (dabat), il donna (dedit), il avait donné (dederat), græce: έδιδε, έδωκε (aoristus), έδεδώκει. Sine præterito non est narratio; et vicissim: ubi præteritum, ibi narratio, apud Homerum semper et ubique. Nam etiam in similitudinibus et sententiis generalibus demonstratur aliquid, non narratur.

³²⁾ Notabile exemplum huius generis est iam Achillis narratio in primo libro (I. 365—392) cum verbis illis stereotypis (assiduis) ὄλεσ, τίνεται, incipiens, dein e. g. narratio Glauci landes maiorum suorum predicatoris (VI. 152—205), Andromacha gentis sua interitum deplorantis (VI. 414—428), omnes fere Nestoris orationes (e. g. XI. 670—863), Phœnicio in legatione Meleagri fatum conquerentis (IX. 529—599), longissimum autem et notissimum in Odyssea Ulixis apud Phœaces narratio quattuor libros (IX.—XII.) complectens.

³³⁾ Quare exilis et humi repens mihi appetit eorum sententia qui

esse puto elocutionis accuratam observationem, quam earum rerum, quibus — ut ad compositionis rationem pertinentibus — docti nostrae aetatis viri studia sua convertere solent. Qui sine dubio rectum habent, si hoc narrationis genus proprias difficultates habere demonstrant: nam poëta e. g. omnia scire potest et debet, personis vero talia tantum narrare conceditur, quæ ipsi comperire potuerunt; praeterea poëta ad auditores suos liberius loqui potest, personis vero cavendum est, ne talia aliis personis nuncient, quæ ii ipsi quoque manifeste scire debent, neve negligant ad sciendum necessaria, auditoribus quidem nota, sed quæ poëmatis ceteræ personæ nesciunt. In utroque genere Homericæ narrationes a personis dictæ sine dubio multifariam errare videntur: sed hi quoque errores tales sunt, qui ad quæstionem Homericam solvendam certa argumenta non suppeditant, quippe qui plerumque etiam per simplicitatem ipsorum poëtarum explicari possint.

VII.

De ipsis autem poëtarum narrationibus iam supra admonuimus præter puras narrationes etiam descriptiones et similitudines continere, quo efficitur, ut proprietas eorum nobis maxime conspicua etiam amplius appareat. Atque equidem haud ubertatem et copiam loquendi, latitudinem illam, quæ dicitur, epicam, primo loco hic attulerim. Nam ut e statistica tabella supra exposita elucet, longiores narrationes omnino perraro apud Homerum inveniuntur. Verum partium narrationis *inaequabilitatem proportionem*, quæ dicitur, carentem. Locis, ubi res enarrandas brevissime et summatim, ne dicam desultorie poëta absolvit, ubi incepturn filum varietate affectuum, rerum tædio, vel materiae inopia coactus subito abrumpit, non minus crebro occurunt, quam ii, ubi nostra sententia æquo longius moratur, resque nimia cura singillatim persequitur. Neque aliter id fieri potuit; nam simplices poëtarum animi *tota summa neglecta*

e. g. Ulixis totam narrationem a primitiva illa, ex qua poëtam hanc novam constituisse contendunt, *nonnisi verborum et pronominum persona discrepare putant.*

ea parte semper alliciuntur, quæ plurimum ipsorum interest.³⁴⁾ Denique, si vera potius, quam speciosa dicenda sunt: inveniuntur sane apud Homerum permulti loci narrativi, modo vi et robore pleni, modo minute et singillatim explicati, ubi tamen elocutio rebus accommodatissima, partes eius inter se adæquatæ, etiamque nobis recentioribus admirande videntur; sed multo ssepius ocurrunt loci, ubi *inaequalitate compositionis artem negligente* lector nostræ aetatis — minime quidem offenditur, sed subridere cogitur. Idecirco vero quis iudex historico sensu non carens poëtas viginti quinque fere saeculis ante nos viventes vituperare audeat? Ut supra exposuimus, agnosendum est nobis omnium cuiusvis artis virtutum postremo et novissime semper et ubique unitatem non solum summæ totius, sed partium quoque apparere, recteque Wolfium iudicasse, quum in Prolegomenis Græcos quoque sero totum ponere didicisse contenderet.³⁵⁾ Ex quo sequitur hac inæqualitate narrandi non magis argumenta certa ad Homericam quæstionem erui posse, quam e personarum erroribus et ineptiis supra expositis, vel adeo ex iis narrationis Homericæ proprietatibus, quæ Zielinskius, Jordana, alii novissime recte invenerunt atque exposuerunt. Quæ equidem in hoc libello propter spatii inopiam ne obiter quidem repeterem possum; pauca tantum adiicere velim, non quo nova proferam, sed ut faciam, nota ne novis obscurentur. Optime contigisse quivis gaudeat, narrationes Homericas singulum tantum plen-

³⁴⁾ Non est igitur nimis admirandum, si fortasse idem poëta, qui in libro III. impetum Græcorum primum, duabus similitudinibus hoc numero comprehensis, quattuordecim versibus absolvit, de Pandaro sagittam in Menelaum emitente, arcuque eius, re omnibus pueris omnium aetatum notabili, sedecim versibus utitur, idque inter summa discrimina rerum; neque ex altera parte in hac re conscientia quædam effectus consecratio est querenda, præster illam primitivam, quam supra apud ineruditos quoque saepè inveniri admonuimus.

³⁵⁾ Id Wolfius (in Prolegg. c. XXIX. adn. 91.) sane sine argumentis allatis; Wilamowitzius vero in ultimo Hist. Græc. Litteratura capite (ap. Hinnebergum, ed. 3. p. 303—311) accuratius eam quæstionem explanavit, quum inter Ionum et Atticorum indolem differentias illas constituere, quibus explicatur, cur veræ artis monumenta unitate et concinnitate (harmonia) quoque conspicua tantum apud Atticos tandem exoriri potuerint.

rumque habere filum (einsträngig), Homericos poëtas, quemadmodum postea sculptores et pictores Graecos paucissimis personis esse contentos, pugnas duella potius quam certamina communia esse nominandas, personarum cogitationes non abstractis verbis — quæ tum deerant — sed personarum actionibus esse expressas; caveat autem, ne has Homericæ poësis proprietates — quamquam postea in illa ætate nimium artificiosa de integro invenienda erant, iureque laudabantur — callidæ et sibi conscientiae eidam artis consecrationi tribuat. Nam principio nil sunt aliud, nisi infirmitates naturæ cum primordiis rerum coniunctæ. Neque tamen illi poëtae ineptiarum tantum sunt auctores, sed iidem admirabili quodam exemplo posteritatem docuerunt, quid ingenium humanum, alioquin debile et erroribus quoque expositum, in poësi efficere posset, si naturam ducem ac magistrum sequeretur. Quod autem natura sëpe incipientis cuiusdam artis rudimentis, atque etiam puerili eidam calliditati et astutiae cedere coacta est, non miraberis, sed etiam his proprietatibus inter se contrariis delectaberis potius, si iuventutem amas, et hanc poësim, priusquam ex ea Ilias et Odyssea nostra conficeretur, per aliquot sæcula exerceri et progredi consideraveris.

VIII.

Simili modo est iudicandum etiam de descriptionibus Homericis. Latissime patet iam inde a Lessingii temporibus puram descriptionem perraro apud Homerum inveniri; ubi expectetur, e. g. in celebri illa parte clipeum Achillis repræsentanti, admirabili quadam arte in narrationis formam transponi. Quæ observatio ipsa quidem procul dubio recta esse apparet: tantum de ista admirabili arte, idest de veris rei causis habebo nonnulla, quæ adnotem.

Et primum quidem perspiciamus oportet descriptionem puram omnium eloquendi formarum esse difficillimam. Nam res ex multis elementis composita, loca e multis partibus constantia ordine certo ita describere, ut singula elementa et partes in animo audientis in unam imaginem coniungantur et quasi coalescant, non solum irritus et vanus est labor (quod a Lessingio e diversis artium mediis et materia rectissima est expla-

natum), sed, si psychologicam quoque rei rationem respexeris, narratori ingratissimus, et is, qui ne suscipi quidem possit, ubi descriptio non disciplinæ et doctrinæ cuiusdam finibus inservit, sed permotionibus animi subiecta est eisque obtemperat. Itaque etiam in ætate nostra, ubi docti viri historie naturalis, geographiæ archaeologiæ disciplinarum ceterarum descriptione indigentium studiosi ea uti coguntur, perquam est difficilis, neque aliud habet propositum, nisi omnium partium accuratam significationem, atque etiam tum locutionibus tropicis, quamquam usu obsoletis indiget, ne per continuum verbi substantivi et adverbiorum localium usum intolerabile tedium auditoribus vel lectoribus afferat. Quid, ubi elocutio ipsa natura dirigitur? Quas res Homericæ atatis poëta describeret, qui naturam secundum e quotidiana contemplatione optime norat, in eaque, ut supra exposui, non magis venustate quam utilitate delectabatur; cuius ingenium multo magis erat sobrium ac sanum, quam ut elementis fectorum prodigiorum vel miraculorum longius immoraretur, præcipue talibus, quæ vitæ signis, motu, varietate carerent?

Quales utilitates e natura homo percipere, quomodo quaecunque res ad usum suum convertere posset, poëtarum Homericarum præcipue intererat. Res per ingenium et manus humanas factas, quæ necessario actiones, motus (quibus efficiebantur et quæ repræsentant) continent, poëtae Homericæ fingere, exponere student. In talibus autem rebus describendis per imaginationem et affectus (admirationem) loquentis confessim in narrationem transformatur descriptio, etiamsi de veris imaginibus agatur. Ipsa natura fit hæc transformatio, quæ quantopere conscientia artis consecratione careat, quotidie in sermone ineruditorum et eruditorum, neque tamen doctorum, observari potest rem vel tabulam describentium. En causa psychologica, cur apud Homerum tam rarae sint pure descriptions, quare omnino non nisi in nonnullis locis naturæ vel hominum opulentiam repræsentantibus inveniantur, ubi tantum specie venustas, re vera utilitas est auctoris τελεχὸν χεργάλατον (capitulum finale); quare descriptions præcipue in rebus miraculis plenis obiter, quasi ludendo, ita absolvantur, ut partes et elementa raro sibi constent, quare in iis, quæ repræsentantur, non res ad pingendum sed ad nar-

randum aptæ, idest actiones, motus varietate rerum notabiles exponantur, quare in descriptione ipsarum rerum arte factarum poëtæ non artifia ipsa describant, — quorum ne imaginem quidem perfectam sibi plerumque effinxerunt — sed neglectis artis rationibus iis actionibus delectentur, quæ iis imaginibus significatæ sunt. Quod vero ad Achillis clipeum attinet (cui recte aestimando Lessingii disputationem non magis profuisse quam obfuisse affirmaverim) re vera haud facile alium locum invenias, ubi inæqualitas illa narrandi modo singularum rerum accurata persecutione, modo repente abrupto filo, modo negligentia quadam conspicua magis appareat, quum poëta in non-nullis scænis permulta, in aliis per pauca narrando digna haberet. Nam manifeste in singulis scænis non imagines, sed res ipsæ sunt cordi poëtæ in imaginibus significatae; id vel inde eluget, quod in iis de pacis operibus agitur, quorum imagines parum sunt aptæ, ut pro Medusæ capite fungantur, sed quæ in argumento Iliadis, inter armorum fragorem, iucundissima varietate aures pemucent.

Quod ad principalem thesim Lessingii, id equidem minoris momenti esse putem, descriptiones per istas ἐν δὲ ἔτενες, ποιησε, ἐτίθε: narrandi formas in narrationem esse transmutatas, neque Vergilium vitupero, qui istam ineptissimam narrationem³⁶⁾ plusquamperfecti et imperfecti formis rursus in descriptionem transformarit. Extollendam vero censeo imaginibus premissam fabricationem, ubi non deus Iovis filius, sed faber claudicans, omnibus e quotidiana vita notissimus, squalore obsitus in officina fabrili communissima, follibus, incude, malleo, forcipe incomparabilia illa artifia peritis præcordiis conficiebat. Quod folles viginti sunt numero, quod imperio domini parent, non obstabit quominus veram Græcorum indolem supra expositam in hac quoque parte invenias.³⁷⁾

³⁶⁾ Nam tales esse eam quis non videt? Eas ineptias dico, quibus in infantibus delectamur, quæque in hoc genere tantum Homericæ atati erant permisæ. Clipei imaginibus me ipsum quoque delectari non infitor; sed longe abest ut in ea ipsa transformatione descriptionis, praesertim in ea forma, summam loci virtutem cum Lessingio inveniam.

³⁷⁾ Nisi poëta fabricationem ipsam utique præmittere voluisse, aut magnopere fallor, aut omnes imagines sine istis ἐν δὲ ποιησε inciperent (ut versus 509. testatur).

IX.

Narrationis Homericæ, — quamquam in orationibus quoque, sed multo rarius, occurunt, — notissima et gravissima subsidia sunt similitudines. Rationes, quibus eæ considerari possunt, multiplices sunt; verum ego ne communia repetam, tantummodo eas hic attingam, de quibus habere mihi nonnulla videor quæ adnotem.

Et in arguento quidem Homericas similitudines tertium, quod dieitur, comparationis plerumque transgredi toties notatum est, ut vix quidquam addi posse videatur. Sed certum est ita, per fortius commotam auditorum imaginationem earum quidem rerum, quibus fit comparatio, vim et vigorem augeri, earum vero, quæ comparantur, interdum etiam diminui, quum imaginatio ab iis ad aliena elementa avertatur. Hoc genere igitur tantummodo tales auditores delectantur, qui, quemadmodum ipsi poëtæ, puerili quadam animi varietate et levitate, de qua supra diximus, observationes, cogitationes, fictiones variare possunt, et post celerem et facilem ad aliena transitum pari celeritate et facilitate subito ad priora revertuntur, neque est admirandum, eos qui nimio quodam ordine et diligentia (Pedanterie) in omnibus rebus conficiendis delectentur, præcipue doctissimum quemque nostræ ætatis perscrutatorem ea levitate et varietate interdum non medio criter offendi.

Sunt, qui istas minutissime et longissime elaboratas similitudines, ut maxime nativas et primitivas, antiquissimas esse putent; neque potest esse dubium quin istæ de proposito aberrationes principio iure sint novarum rerum amori et earum exponendarum cupiditati tribuendæ, praesertim, quum res, quibus fit comparatio, plerumque extrinsecus sumantur, sintque tales, quæ in ipso poëmatum arguento locum non habeant.³⁸⁾

³⁸⁾ Hic est locus etiam observationibus e natura sumptis, quæ, ut diximus, puris descriptionibus perraro exponuntur; sed hic quoque adnotemus oportet — quod ad universas similitudines recte intelligendas maximi est momenti — in similitudinibus perraro res ipsas, sed *actiones, processus earum* comparari, errareque eos, qui (vel brevitatis causa) cum comparatione rerum cum rebus apud poëtas loquuntur (e. g. de herœ cum leone, asino, polypode comparato, quum re vera de audacia, obstinatione, desperata adhäsione agatur).

Contra alii similitudines nimia longitudine conspicuas imitatorum minutiori curae tribuunt, immo etiam interpolationibus veteres comparationes auctas esse suspicantur.³⁹⁾ Mea quoque sententia in compluribus Homericis comparationibus sibi conscientia quædam minutiarum cura appareat, ita ut probabile sit poëtas et auditores posterioris ævi talibus comparationibus nobiscum communi de causa conscientioque animo delectari, interdum fortasse etiam subridere. Itaque hic quoque artificii quædam rudimenta invenimus, sed quæ prisæ illi nativitati ita coniuncta esse videantur, ut ad Homericam quæstionem solvendam parum valeant.

Sed de hæc quidem ratione hactenus; majoris enim momenti puto alteram, vel idcirco, quoniam a plerisque (a Muel-dero quoque) prorsus neglectam eam video. Etenim sciendum est in similitudinibus praeter ipsas actiones, processus rerum, idest, praeter ipsum argumentum rationem esse habendam sensuum et affectuum quoque per comparationes suscitatorum, eosque in plerisque novarum poëtarum similitudinibus argumento ipso potiores esse, sed neque apud Homerum esse negligendos, præsertim in iis comparationibus (e. g. Achillis IX. 222—335), quibus personæ in orationibus utuntur. Sed necessitas eius rationis etiam alibi apparere potest; nam permulta similitudines a poëta ipso factæ in narrationibus inveniuntur, ubi sensus et affectus rerum comparatarum nostro iudicio ita disereptent, ut gravitatem rerum narratarum paene corrumptant, dissolvant. Qua re efficitur maximi momenti esse ad similitudines Homericas recte aestimandas, ut novæ etatis lector antiqui poëtæ sensum et iudicium, sanam, ut ita dicam ruditatem istam perspiciat et intelligat, semet ipsum ad ea recte iudicanda historicò quodam sensu transformet, etiam si in gravissimarum comparationum elementis (quamquam minime principalibus, de qua re v. supra) asinus, polypus, vel adeo ventriculus pingue-

dine et sanguine repletus (Od. XX. 20 sqq), aut tauri pellis a famulis distendenda (Il. XVII. 389 sqq) occurrunt. Certum est enim in illa prisca poësis ætate cum permultis animalibus, rebus, actionibus nondum fuisse eos sensus et affectus coniunctos, quos fabulæ Aesopeæ et politiorum ætatum sollertia et eruditio eis paullatim adiunxit. Negari tamen non potest, esse in hoc genere quoque vestigia, quæ nos ponere cogant etiam ipsis nostræ Iliadis poëtis in processu temporis non omnino invitis et ignaris exstitisse comparationes, quarum discrepantiam ipsi quoque sentirent, sed quibus ut ad stilum epicum pertinentibus æque ac nos delectarentur.

In tota autem hac altera similitudinum ratione maxime est notabile similitudines in narratione eas partes, ad sensus et motiones animi pertinentes supplere, quibus narrationes Homericæ plerumque carere diximus.⁴⁰⁾ Ita factum est ut quum minutissime elaboratae, tum numero plurimæ, interdum etiam cumulatae non in orationibus sed in narrationibus ocurrant. Etenim ut imaginatio a rebus præsentibus ad alienas facile transferatur, sedatior et tranquillior animi status requiritur. Caveamus igitur, ne in his quoque eloquendi propriis conscientiam quandam artis significationem queramus.

Etiam illam latitudinem, quæ dicitur, epicam, de qua supra diximus, similitudinibus augeri constat, quibus narratio suspenditur; neque tamen errabis, si in hoc quoque genere inæquabilitatem eloquendi proposito vel ordine severo carentem apud Homerum agnoveris.⁴¹⁾

³⁹⁾ Ita novissime, quod sciam, Carolus Marot Hungarus (discipulus nomine quondam meus re vera autem potius Radloff, Erhardtii, vel Immischii) in dissertatione in periodico «Egyetemes Philologiasi Közlöny» ann. 1907 (XXXI) p. 386—404. edita, qui tamen in quæstione solvenda summa cautionem adhibendam esse censem.

⁴⁰⁾ Nisi fallor, hic quoque desideratur expositio statistica comparationum quum in narrationibus, tum in orationibus occurrentium, numerum, longitudinem, naturam, distributionem earum accurate exhibens. Quamquam ad originem poëmatum detegendam præcipue in huius generis perquisitionibus aliquam spem subesse probable est.

⁴¹⁾ Quod ad formam comparationum attinet, non ab re fore credo tironibus summatim ea repetere, quæ in magno meo opere de temporum usu supra allato §§. 20. A. B. I. II., præsertim vero §§. 31., 32., 86. disserui. Sciendum enim est verborum formas in comparationibus achronisticæ esse usurpatas, ubicunque non solum actionis imperfectæ (δέοπται), sed perfectæ quoque achronisticus indicativus (τεχνιτα; V. 141. Ιστικατιν IV. 433.) invenitur, quam posteriorem in narratione vel pro narratione

X.

Quæ hactenus disserui, omnia dumtaxat ad elocutionem carminum pertinebant. Quod consilio feci, ne rationes inquirendi inter se permisceantur. Ita absolvī, quantum per brevitatem necessariam fieri potuit, priorem quæstionem, quam supra (sub finem capitū II.) posueram, præstetne Homericā elocutio decorum (*τὸ πρέπον*) illud, quod innata et ingenua quadam observandi, imaginandi, sentiendi et cogitandi virtute cum natura congruenti efficiatur? Ut rem paucis complectar, elocutionem Homericā universam — quatenus accomodatio ad formas traditas, subtilisque stili venustatis sensus Græcis innatus permisit, ab ipsa natura generatam atque ita productam esse constat, ut in rebus, sensibus, cōgitationibus ad exprimendum eligendis omni fere sibi conscientia artificio carere, artificiisque politiorum ætatum — ut verbis summi poëtae illius Germanorum utamur — ruborem afferre videatur. Nullius populi litteræ in hoc genere ei comparari possunt, quandoquidem nec Romanorum nec recentiorum poësis epica in ætate illa prisca, natura propiore, sed iam artificio plena, præceptorum artis non ignara origines habeat, ita ut Latina Græcam, ceteræ Latinam vel nonnullæ, eæque excellentissimæ posterius etiam Græcam imitarentur.

Neque tamen elocutionem apud Homerum semper et ubique

(excepta oratione obliqua) apud Græcos classici ævi nusquam inveniri supra admonuimus.

Idem statuendum est etiam de plerisque aoristi indicativi formis, quæ perperam empirici appellantur. Etenim, quemadmodum in sententiis (*καὶ τὸ πρὸ ὁ τοῦ λύσαντος X. 224. ωὐλεῖν XVII. 98.*) vel descriptionibus (*οὐράνω τετράπλει κηρόν IV. 442.*) si cum achronisticis formis *promiscue* occurruunt, carent temporis præteriti significatione, tantum subito intrantes statimque peractas actiones significant, ita in similitudinibus quoque cum achronisticis formis *promiscue* usurpatæ (*διαθάπτωσιν, ἡγγυή, διέτροχον, δάνται XI. 473; τρίπετον, ἀναβίβουχεν, δονέουσαν, βρέει, δέτρεψε, δέτρεντος XVII. 53.*), nisi antecedentia significare possint, achronisticae sunt intelligendæ, neque per præterita in alias linguas (excepta Latina apud Vergilium) transferenda.

Quid autem de iis aoristis statuendum sit, qui soli, vel cumulati inveniuntur (XIII. 389., III. 33.) cum Delbrueckio ego quoque in medio reliqui, neque unquam eorum veram significationem (utrum de præterita experientia an achronisticae intelligendi sint) pro certo erui posse credo, quamquam equidem hos quoque achronisticae intelligo.

parem et æquatam invenimus. Etenim, quum poësis epica apud Græcos per aliquot sæculorum seriem floreret, res, mores et rationes recentiorum temporum per traditas formulas, locutiones et formas tantummodo transactibus, iacturis, denique sibi conscientia quodam artificio exprimi poterant, nisi poëtae stilum traditum novis formis permixtis excolere, vel potius corrumpere mallent, quo tamen incepit eos, ut diximus, innatus quidam stili sensus (Stilgefühl) prohibuisse videtur. Ita factum est, ut in unoquoque fere genere et parte elocutionis primitiva quidem, neque tamen dubia rudimenta artificii occurrerint, quæ partim formæ necessitate, partim sollertia quadam naturali generata et producta partium origines tempore differentes esse arguant. Nihilominus ad quæstionem Homericā solvendam certiorem aliquam spem tantummodo in iis elocutionis propriis ponere posse invenimus, quæ cum ipsius Græcæ linguae usu sunt coniuncta, de ceteris autem elocutionis propriis, præsertim donec statisticæ eorum rationes non liqueant, nihil certi effici profitemur, quo ætas singularum partium accuratius definiatur. Etenim ubique fere in medio relinquenda erat quæstio, utrum eloquendi propria nativitatib[us] illi puerili essent tribuenda, simpliciaque ac sincera essent putanda, an ipsi poëtae provectionis ætatis formæ necessitate adstricti conscientia quadam mente traditis illis formis nobis pariter essent delectati. Nam quantopere huius generis perquisitiones a natura, sensu, eruditione investigatorum ipsorum dependeant, ipsa historia istarum perquisitionum docet.

In universum tenendum esse censeo partes summæ totius et differentibus ævis esse oriundas, neque in progressu temporis paullatim, vel adeo repentina labore gravioribus mutationibus deformatas; demonstrari vero etiam hanc opinionem in præsenti perquisitionum statu solis elocutionis propriis perdifficile esse censeo. Reliquum est, ut videamus, quid efficiatur, si ad elocutionis hanc perquisitionem ea, quæ de dispositione et inventione in nostra ætate observata sunt, accesserint.

PARS POSTERIOR.

XI.

In hae igitur altera parte disputationis querendum erit, quam rationem propria eloquendi eorumque fontes psychologici cum summa tota carminum, idest cum compositione et inventione Iliadis habeant, quidque ex ea comparatione efficiatur.

Et primum quidem quis ignoret Aristotelem fuisse, qui primus constituerit, quod cuivis lectorum recentiorum per se manifestum esse oportet, Iliadem et praesertim Odysseam non esse seriem rerum ordine temporis enarratarum, verum utrumque poëma certa excellere actione initium, processum, finem habente, que in certo temporis spatio haud ita magno, in certis locis, per unam primariam et complures alias personas secundas vel tertias partes gerentes perficiatur. Qua in re tam parum a tragœdia Iliadem differre, ut Aristoteles ex Homero sumptis exemplis præcepta ad tragœdias facientes pertinentia illustrarit.

Præterea latissime patet ne hanc ita definitam quidem actionem ordine rerum narrari, sed res in scènas esse dispositas, quarum prima versu Iliadis 12., Odysseæ 23., vel 26., incipiens teste Horatio velut in medias res auditores rapiat, tamquam in tragœdia, ea tamen tamen differentia, quod istæ scènæ longitudine admodum sint differentes, suasque partes etiam pura narratio — quamquam interdum tantummodo ad binas scènas coniungendas — ubique obtineat.

Neglecto nunc argumento in his scènis distributo, iam ipsa ista fingendi et componendi ratio, praesertim in poëmate plus quindecim milia versuum complectente digna est, quæ perpendatur et explicetur.

Et ad intellegendum quidem secunda ratio est facilior, neque ea post ea quæ supra exposita sunt, novam explicationem desi-

derare videtur. Etenim ad scènas istas inveniendas poëtæ, si quidem natura duce personas loquentes inducere voluerunt, hac ipsa re quodam modo adducti sunt, neque est dubium orationes et scènas per eas effectas et compositas in quovis poëmate Græcorum narrativo, etiam in Cyclicis illis carminibus semper fuisse communes.⁴²⁾

Longe aliter autem statuendum est de tota Iliadis actione e certa singularum scènarum serie et distributione oriunda eiusque unitate, quæ teste Aristotele (Poet. 23. p. 1459 a. 30) sit tanta, ut ex Iliade (et Odyssea) non ut e parva Iliade plus octo tragœdiæ sed *singulæ tantum vel binæ* (*I.*) effungi possint. Quæ unitas ut efficiatur, si quidem consilio est facta, imaginatione opus est, verum non infrenata, animi tantum motionibus, sed disciplinæ et menti obtemperante. Cui disciplinæ? In hac nostra ætate (et iam inde ob Aristotele) præceptis quoque artis definitæ. Antea: sibi conscientia clarorum exemplorum imitatione. Principio autem tantummodo eo in quo nunc et semper summa omnis poësis continetur: iudicio et sana mente naturam humam penitus cognoscere et sentiente, cum veræ venustatis et decori sensu et imaginandi vigore, veritate et constantia coniuncta.

Poëtæ recentioris ætatis præceptorum artis periti plerumque totam actionem sibi constituunt, rationes locorum et temporum, praesertim personarum formas, atatem, mores accurate sibi effingunt, tum materiam ita inventam disponunt, omnem actionem in certum ordinem scènarum distribuunt priusquam eloquendi initium faciant, ita ut opus institutum etiamtum interdum genere indefinitum videri (sive tragœdiam sive carmen narrativum, sive narrationem prosa oratione scriptum efficere) possit, — denique quidvis, ut cum Horatio loquamus, simplex dumtaxat et unum — elocutio autem ipsa in quavis politiorum gentium lingua perfici possit, in his autem formâ sive nondum certo aliquo stilo definitâ, sive usu et præceptis stili traditis temperata; sive etiam novo quodam stili genere conspicua.

⁴²⁾ Confronta e. g. Epicorum Gr. Fragmenta in Kinkelii collectione edita, ubi Procli argumenta multaque fragmenta ex orationibus Thebaidis, Cypriorum, Aethiopidis, Iliadis parva etc. oriunda rem manifeste demonstrant. Quin etiam apud Hesiodum inveniuntur dialogi.

Itane statuendum sit de Iliadis quoque nostræ origine, hæc est quæstio, qui nos in reliqua parte huius disceptationis occupabit.

Et primum quidem quæramus oportet, exhibeatne inventio et compositio Iliadis eam excellentiam, quæ necessario unius poëtæ ingenio sit tribuenda? Nemo ignorat in historia quæstionis Homericæ huius quæstionis miro modo discrepantes inveniri solutiones. Nam erant (suntque) nonnulli, qui, si minus Odyssee, at Iliadis actionem iam in fabulari historia Græcorum rerum quoque serie tantopere definitam esse contenderent, ut actio eius primaria nullius eximii poëtæ inventione indiguisse, sed a toto Græcorum populo constituta esse videretur; erant alii, qui filium poëmatis inventum et aliquatenus deductum esse a notabili quodam poëta censerent, «qui magna illa opera ad imaginis cuiusdam animo conceptæ descriptionem expresserit», (Hermannus de interp. H. Opusc. V. 69). Illa prior ratio popularis poesis (Volkspoësie) vel poësis se ipsam evolventis (Evolutionstheorie) nomine, hæc posterior nomine illo tropico de semine sive nucleo sumpto (Kerntheorie) innotuit, utriusque autem primus auctor Wolfius ipse erat, posterioris quoque ut e Prolegomenis (c. XXVIII.) elucet. Utrique commune est, quod unitas illa actionis plus aut minus antiqua, illa pristina hac vetus esse iudicatur, et quod utraque earum illam pristinam vel certe veterem actionem a posterioribus poëtis novis incrementis et interpolationibus, interdum actionem gravissime transformantibus, auctam esse putent.

Novissime autem extiterunt docti, qui poëtam illum, cui summa totius poëmatis deberetur, non in initio, sed sub finem florentis epicæ poësis collocaverint, hoc tamen discrimine, quod pars eorum non ex absolutis antiquis poëmatis sed ex ipsa fabulari historia novum poëtam argumento conservato novam actionem effinxisse contenderet (Rothius), pars principalem quoque actionem e vetustioris poëtae opere sumpsisse (Bethius), pars autem novum poëtam fabulari illa historia et carminibus quoque vetustioribus usum esse, verum liberrime, argumento quo prorsus transmutata totam fere actionem sua ipsius inventione composuisse. (Muelderus.)

Inter quos (ut supra quodam modo iam Bethius) medium

fere locum tenent ii, qui philologiæ principem, Wilamowitzium secuti vicissitudines epicæ poesis non ita simplices fuisse opinantur, sed inter carmina illa pristina (nœque tamen iam cantu edita, sed declamata) et nostram Iliadem compluria non nimis longa sed actionem unam habentia epica poëmata (Kleinepen) verorum poëtarum ponunt, quæ deinde modo a posteriore quodam poëta, modo ab redactore potius quam poëta his partibus receptis, illis neglectis, novis quoque additis in unum corpus coniuncta, etiamque novis interpolationibus aucta postremo nostram hanc Iliadem effecerint.

Unum inter omnes constat. Quacumque aetate poëta ille cui filum actionis inventum vel deductum tribuitur, floruerit, elocutionem non ipsum creasse, sed traditis epici stili formulis et formis usum esse, nisi quod hi (Rothius) poëtam in nova actione liberius eas adhibuisse alii autem tota poëmata integra fere in suum usum vertisse contendunt.

Qua de causa induci non possem, ut cum Rothio consentirem, de iteratis disserendo supra exposui; nunc videamus, quid de principali quæstione nunc a me posita statuamus. Sed quoniam recentiores viri doctissimi voluminosis libris de hac re perscriptis omnes fere tanto apparatu usi sunt, ut Hungaricum proverbium comprobantes interdum silvam præ arboribus conspicii non sinant, ego in hoc meo opuseculo vel brevitate coactus, pingui, ut dicitur, Minerva rem considerare decrevi. Etenim rectum habuisse mihi videtur G. Hermannus, vir ille doctissimus, meorum studiorum stimulus idemque exemplum (l. c. p. 71), quum quæstionem esse quidem historicam diceret, sed quoniam versetur in tempore, de quo nihil testatum habemus, expertem omnis fere praesidii nisi quod sit in probabilitate situm. Eam probabilitatem sine ira et studio ut constituam et determinem, hoc erit mihi in iis, quæ sequentur, unicum propositum.

XII.

Causæ actionem moventes in Iliade nostra sine dubio etiam intrinsecus, a moribus personarum sumptæ inveniuntur. Quarum gravissima est Achillis cupiditas ulciscendi primum contra suos ipsius socios, dein contra interfectorum amici exardescens et

sæviens, turpis sane cupiditas, quam tamen in tota antiquitate dominari supra admonuimus, cuiusque turpitudinem recentiorum is reprehendat, a cuius animo in his novissimis temporibus ista perturbatio longissime afuerit. Uteumque sit, fortasse etiam nunc affirmari potest, tale argumentum non solum Aristoteli, verum etiam nobis iure videri per tragicum: nam heros actionis pro gravi errore ordinem publicum offendente gravissima pena eaque non inopinata (*αὐτίκα τεθνάτην*) afficitur.

Nihilominus equidem ita censeo, huius tragicæ actionis originem in ipsa fabulari historia vel alibi esse positam, neque poëtae Iliadis *nostræ* esse tribuendam. Etenim hic poëta nusquam tanta argumenti sui gravitatis conscius esse apparet, immo etiam tum, quum heros eius contra suos, neglecta salute communi, sævit, consentire cum eo videtur, quum per deam ei apparentem violentiam et amorem eius se suaque nimis admirantem, communi saluti repugnantem, confirmare, iramque eius vilibus donis promissis sedare studeat. Itaque tragicam actionis naturam in nostra Iliade nimium extollere periculosum esse censeo, quum verendum sit, ne vera existimatione puerili ætati propria, quamquam in melius, commutata errorum historicis non ignoscendum committamus.

Accedit, quod ista dupli ultionis cupiditate omnes fere inventionis virtutes (etiam si Hectoris solutionem addideris), quæ ad Achillis personam sibi constanter delineandam pertinent, absolvuntur, et, si vera dicenda sunt, iam in ipsa cupiditatis contra Hectorem vertentis commutatione nonnulla ad id propositum parum feliciter inventa occurruunt.⁴³⁾ Hic et in scena illa

⁴³⁾ Nam qua de causa implacabilis ille heros Patroclum in pugnam pro se ipso, cum suis armis, quæ amissa nisi a deo ne suppleri quidem possent, exire insserit ante iram in Hectorem inflamatam et uno die post repudiatum in legatione Agamemnonem (præsertim sine ultimo re-moëte, id est deo ex machina) non ita facile explicatur (*Ἑρμός τερον δι μέσην*; XVI. 83—90).

Id otiam iure offendat lectorem, principalem heroem Iliadis, summæ fortitudinis et intrepidae virtutis exemplar, ubi primum in poëmate inducitur, in prima scena (I. 59—60.) desperati ac iacentis animi verbis socios et totum exercitum alloqui. Scenam cum Priamo ego quoque præstantissimam Iliadis partem esse agnosco (Cfr. C. O. Müllerum, 1. c. I. p.

cum Priamo probabilius est in nostra Iliade datis iam pridem factis et ipsa actione mores Achillis, non his illa dirigi, quod etiam de aliorum personarum moribus observari potest, quippe qui in universum typicam quandam formam, de qua supra dixi, exhibentes, ceterum agendorum necessitate, non ipsi suo ingenio adducti, singula quæque instituere vel incepto repente desistere soleant.

Quod eo magis est notabile, quoniam dii ipsi, perpetuae nostræ Iliadis actionis soli fere duces et arbitri non e iustis causis, verum perturbationibus animi cedentes, vel etiam sine causa (*ἄλλη ἐνόησεν*) intercedere solent, ipsique omnes moribus, fide hominibus aliquanto sunt inferiores, maxime quidem Iuppiter ille *Ὥπερφίαλος καὶ ἀπτηνής* (XV. 94.) cui *οὐκ ἔπι δέος* (I. 515.) sed ceteri quoque, præsertim si impunitatis fiducia, vel contumacia in Iovem efferantur. Qui omnes dii et deæ (*πάντες τε θεοὶ πᾶσαι τε θέατρα* VIII. 5.) a vera Græcorum religione quantopere abhorrerent, ipsos Græcos (ante Pythagoram, Xenophanem, Heraclitum, Platonem) et posteriores usque ad hanc novissimam ætatem non perspexisse equidem mente assequi numquam potui, qui persuasum mihi habeo tales deos ab inferiorum ordinum hominibus, ne dicam a toto populo, sibi effungi rem esse absurdam, inauditam, istosque deos nonnisi ævo politiori, nativa fide carenti, poëtis autem e magnis Asiae minoris urbibus oriundis, origines philosophiae non ita magno intervallo antecedentibus tribui posse.⁴⁴⁾ Mea quidem sententia ad quæstionem Homericam aliquatenus explanandam, si alia indicia deessent, hæc ipsa res probabile preberet argumentum. Sed de his infra (c. XV.) agemus; nunc maioris certitudinis causa ad cetera inventionis propria investiganda revertamur.

Etenim, quod ad mores personarum sibi constanter pingendos attinet, — unde ad deorum in actione partem digressi sumus — eam rem perdifficilem esse non solum antiquissimo illi poëtæ, sed recentioribus quoque concedendum est, neque ex ea originis explanandæ certa duci posse argumenta. Sed sunt

79.), sed partem tamen, talemque, quæ ex Achillis ipsius moribus non explicetur, deorumque intercessu ogeat.

⁴⁴⁾ Cfr. Wolfium, Proll. XXXVI.; Nestle: de divina comodia (die Götterburleske) apud Homerum, N.J.B. 1895. pp. 161 sq.

in Iliade (et in Odyssea) quædam ad personas attinentia externa tantum, ut ita dicam, elementa, ad quæ sibi constanter constituta dumtaxat naturæ congruens, veritatis tenax, sana imaginatio fuisset necessaria, quorumque tamen nutatione, incertitudine atque adeo perturbationibus et contradictionibus iure offendit potest, *quicunque in partibus legendis summae totius non obliviscatur*. Et hic mihi quidem non doctissimi cuiusque observationes sunt maximi momenti, sed eorum, qui Iliadem nostram nativa quadam ingenuitate primum perlegunt. Memini enim e discipulis meis non adultos, sed minimum quemque saepè interrogare, quæ tandem aetas Achilli aut Penelopæ esset tribuenda, utrique filios adultos habenti, et tamen illi invenili ardore exultanti, huic eximia quadam pulchritudine excellenti, vel adeo ipsi Helenæ, quam in Odyssea aviae cuiusdam ætatem attigisse confirmabant. Certe hi pueri bono et sano quodam iudicio prædicti, summæque actionis etiam in partibus legendis memores quadam modo rectum habuisse videbantur, neque eis aliud erat respondendum, nisi quod apud Homerum non summatotius poëmatis, sed singulæ partes essent æstimandæ; vel, si hoc genere persuadendi minus fuissent contenti, pictoribus atque poëtis teste Horatio cuncta licere. Sed estne ita? Esse certos denique fines legerunt apud eundem Horatium. *Eundem poëtam in eodem opere* primiorum suorum heroum non solum mores sed ætatem quoque alias aliter sibi imaginasse credibile non est,⁴⁵⁾ quia ea re non poëticæ artis sed naturæ ipsius præ-

⁴⁵⁾ Cui existimationi obici non potest, poëtam poëtica quadam licentia usum non solum deos, sed etiam illos semideos semper iuvenes sibi imaginari potuisse. Nam primum quidem — quod multi ignorant — ipsi Graecorum dii non omnes sunt æque iuvenes, solum non senescentes ($\delta\gamma\beta\sigma\omega$) imaginandi; dein manifestum est homines apud Homerum non sine causæ toties limen illud infelicitis senectutis exsecrare, iuventutem præteritam desiderare, verum ea ipsa de causa potissimum diis invidere, quia hi extreme senectutis et mortis timore liberi vivant. (Cfr. etiam hymn. ad Venerem v. 245. sqq.) Quod ad ipsum Achillem attinet, certum est aut iuvenilem illum ardorem ætate eius non esse defendendum, aut, rectius, poëta, qui eam talem induxit, nec belli Troiani longitudinem nec Neoptolemi ætatem esse obversatam. Idest: in his rebus partibus esse fruendum non totam actionem memoria tenendam; nam summae memoriam obesse appetit voluptati e partibus capienda.

cepta offenduntur, quibus conservandis illos priscos poëtas partes poëmatis conficientes maxime excellere invenimus.

XIII.

Præterea experientia docemur in imaginibus rerum, locorum, regionum revocandis memoriam vel imaginationem nostram non facile commutari. Quemadmodum nunquam inveniantur duo homines, qui res, loca, regiones sola imaginatione prorsus pari modo sibi effingant, ita singulorum hominum memoriam vel imaginationem res semel effectas constanter tenere; immo, quæ vel in somniis unquam vidimus, nunquam aliter posterius fingi posse, eamque constantia legem non arti sed naturæ esse propriam. Quero nunc: quid poëtam efficit si non præter vim, vigorem etiam constantia et fides imaginationis cuius adminiculo etiamsi miracula vel prodigia Dantis illius audaciæ fixerit, in ipsis miraculorum elementis negligentia vel aperta contradictione, si quidem nomen cluat, careat oportet. Quid igitur statuendum esse putemus de nostre Iliadis⁴⁶⁾ poëta, de quo constat in locis describendis prout actio ipsa poseat, aperte sibi (?) contradicere, murum istum Graecorum hic esse, alibi non inveniri, fluvios et campos, ipsiusque urbis situm, castra Achivorum aliter alias et alibi esse fingenda, denique poëtam illum omnium clarissimum, perpetuae carminis auctorem, loca ad necessitatem actionis (teste Mueltero) velut scenæ theatalis volubiles illos parietes repente commutare solere? Nam tales observationes, ut divino hoc opere et ingenio clarissimi vatis indigenas cum risu superioris sapientiae repudiare, donec carmina etiam a pueris legentur, minime sufficiet. Respondebimus igitur, opinor, poëtam illum, non ignarum psychologicæ rationis a Lessingio inventæ, quum ea elementa, etiamsi vera essent, ab auditoribus differenter coniunctum et compositum iri probe scisset, ea ipsa de causa callide et artificiose fidem et veritatem, utpote supervacaneas in hoc genere negligendas sibi statuisse? Rides, benevolè lector? Atqui haud scio an ad istam rei explanationem iam appropinquemus, quum novissimæ ætatis docti eam inconstitiam longe absint ut negent, sed ut poëte illius eminentis virtutem varietate et ubertate (!) phantasiae excellentis laudare et

extollere non desinant. Nil moror, dum istam excellentiam, nempe constantiam in inconstantia, quoad de rebus et locis imaginatione animo infixis agatur, naturae contrariam esse concedant, itaque in compositione Iliadis de poëta levitate quadam amabili prædicto sed naturæ et veritati consilio et sponte inimicissimo loquantur, denique dum in illo poëta poëtam omnibus omnium æstatum poëtis differentem detegant. Neque tamen assequor, cur hic idem poëta partium et summae totius sit statuendus, quum per poëtam, si quidem hoc nomine appellari potest, ex antiquiorum poëtarum operibus perpetuam istam seriem redigentem explicari possint omnes huius generis difficultates quæ non solum a Lachmanno, Christio, compluribus aliis doctis viris sunt notatae — nam id quidem minoris momenti esse puto — sed a minimo quoque discipulorum meorum pravo artificio nondum corruptorum semper animadvertisuntur.

Sed videamus accuratius, quid de poëte illius excellentis, veri Homeri, nostram Iliadem confidentis propriis virtutibus novissimi questionis perscrutatores statuerint, qui, quoniam opera omnia ad Homerum pertinentia significanda et iudicanda in utroque Germanorum periodico hoc fine condito suscepint, iidem omnium questionis rationum, ne dicam, ambagium peritissimi esse debent, quorumque sententias, quæ sequentur, ingeniosissimas, si minus pura Latinitate, certe maxima cum fide interpretari studebam.

XIV.

Igitur sententia eorum principalis compositionis Iliadis nostræ proprietas est varietas, levitas, negligentia quædam amabilis et iucunda, rerum veritati et sanæ mentis rationibus conscientia animo repugnans (Irrealität, Muelder Die Ilias und ihre Quellen p. 67., 194. passim). Vicissitudines actiones universæ deorum consiliis repentinis diriguntur, qui modo omnia scire videntur, modo falluntur atque etiam eluduntur ita, ut re vera non actio ab iis, sed ii actionibus dirigantur. Itaque ad difficultates actionis progradientis solvendas poëta plerumque deo ex machina utitur, quamquam re vera eas non solvere, sed eludere, evitare conatur; quin etiam, ubicumque fere dii intercedunt,

superiore quadam levitate ad parodiam appropinquante inducuntur (M. p. 347, 205). Deorum personas in universum poëta non nisi ut subsidium arte factum (Mache, M. p. 106) adhibet: difficultates, quæ facile solvi non possunt, consilio prorsus negligit et evitat (Rothius Die Ilias als Dichtung p. 254. M. p. 23); causæ moventes plerumque præsenti rerum statui inserviunt (Augenblicksbegründung, R. p. 160) ac ne ita quidem rebus ubique accommodatae sunt (R. p. 311), itaque interdum inter se repugnant, quam rem poëta consilio nil moratur (R. p. 187); causas semel adhibitas in progressu operis negligit, etiamsi in summa totius poëmatis maximi sint momenti (R. p. 168, M. p. 67); verumtamen, si ita placet, de integro eas surgere et valere iubet (M. p. 118); singulas imagines, priusquam ad alias transgrediatur, nimia quadam cura absolvit etiam soluto ita naturali rerum ordine (R. p. 156); dum actionem ad exempla sua accommodare vult, contra suum ipsius propositum extra actionis sue cancellos egreditur (Über die Intention des Dichters hinausschiessende Handlung, M. p. 110, R. p. 194); repugnantie soni (der Stimmung) atque etiam discrepantiae tenoris apud eum communissimæ sunt (M. p. 127) eaque repentina permutatio soni vere est Homericæ («echt Homerisch» R. p. 279, apud eum sine explicatione quasi virtus notata); in Iliade omnes fere animi motiones et actiones, vix natae, repente evanescunt (M. p. 260); inventa auxiliaria (Ersatz und Hülfsfindungen) ex aère capta et veritati contraria sunt (irreal, fantastisch M. p. 194 cfr. p. 16); neque tamen vera intuitioni vel ingeniosæ audaciae, sed ratiocinationi sibi ipsi conscientiae, versuto quodam acumine excellenti (Bewusstsein und Raffinement, M. p. 16, cfr. p. 140) sunt tribuendæ, e. g. quum poëta necessitate rerum coactus, ut mentem auditorum alio abducat, ratiocinationes veritatem eludentes, fallaciaque manifestas per deos vel per alias personas exprimi curat (M. p. 262, 184); idem, ut casuum, actionum, eventuum, rerum probabilium, rationi congruentium, quas adhibere non vult, negligere vero non potest, fidem et vim diminuat, eadumtaxat in deliberationibus personarum suarum attingit (M. p. 53, cfr. p. 113); quin etiam suis ipsius deflexionibus de itinere sanæ et sobriæ mentis personarum suarum infirmitatem, hebetem animum, negligentiam prætexere solet (M. p. 344—5); eamque

etiam deorum, e. g. ipsius Jovis, qui initio rhapsodiae XIII. actionis producendae (retardandae) causa providentia orbatur; in universum poëta præstigiatoris modo causas moventes adhibet (M. p. 38) et rhetorica arte tantopere est instructus et versatus, ut sententiam sophistarum de inferiore causa superioris victrice ($\tauὸν ἡττω λόγου χρεῖττω ποιεῖν$) preclaris exemplis comprobare valuerit (M. p. 262).

In his omnibus ambo viri doctissimi admiranda quadam observandi subtilitate prædicti rectissime iudicasse videntur. Quæro tamen, quid cum hoc poëta, totius Iliadis auctore incipendum sit, si non Muelderi, qui fontibus Iliadis detectis nova quadam ratione cunctam fere actionem Iliadis huic uni poëtæ tribuendam esse censuit, sed certe Rothii, qui Muelderi sententiæ inimicissimum se esse publice declaravit? Etenim Muelderus convenienter sententiæ suæ hunc poëtam laudare videtur; Rothius vero qua de causa hunc perpetui carminis auctorem tantopere extollat, mihi quidem non liquet. Etenim aut magnopere fallor, aut omnia haec ab utrisque viris doctissimis rectissime inventa et notata Homericae compositionis propria non poëtie sed redactoris laborem redolent.⁴⁶⁾

Ita factum est, ut ex utriusque viri doctissimi sententiis iis tantum electis, quæ disrepaniam eorum ad fontes Iliadis pertinentem non attingunt, corroboratam et confirmatam esse inveniam earum opinionum probabilitatem, quas de quæstione Homerica ante editos eorum libros mihi constitueram, quarumque maximam partem supra iam exponere studebam.

⁴⁶⁾ Rothii ingeniosa observatio (l. c. pag. 56.) ipsis talibus disrepantiis verum poëtam, non redactorem maxime cerni, valeat quantum valere potest. Argumentatio corte talis ambigua manebit a propugnatore unitatis uniusque poëtie profecta, cuius non disrepantibus sed convenientibus argumentari est proprium officium. Pari modo per quam commodum esse puto nunc unitatem prædicare, partesque omnes non solum ab eodem poëta, sed etiam eo ordine, quo nunc leguntur, esse oriundas, alibi autem inter se contraria ita explanare, ut unitatis vindicta partes singulas in certaminibus seorsum declamatæ esse admoneat.

XV.

Etenim in priore parte huius disceptationis apparuit elocutionem quoque Iliadis non omniō et ubique esse æquatam, sed processu temporum ad nova argumenta per veteres formas traddenda semper minus aptam evasisse, inveniri locos quos ipsius elocutionis rationes sub finem florentis epicae poësis ortos esse indicent. Multo plures sunt tamen loci iisque non semper ad principales actionis partes pertinentes, quos forma argumento congrua simplicitati priscarum ætatum propiores esse ostendat.

Hi loci, longe remoti a subtilitate omnis artificii, etiam ubi poëtæ nobis errare videntur iuvenilis tantum ætatis notissima propria, vehementiam, procacitatem, rerum in maius auctarum cupidinem, iudicii infirmitatem, primitivam illam gravitatis speciem exhibent, verum coniuncta cum studio veracitatis et utilitatis, interdum ne a minuta quidem sed sana et naturæ congrua sobrietate et diligentia abhorrente. Quæ propria quamquam plerumque errores et infirmitates sunt nominanda, omnia tamen naturæ sunt congruentia; itaque ne recentioris quidem ævi lectorem offendunt, etiamsi interdum eo risu, quo puerorum erroribus indulgemus, nos subridere cogant. Etenim perturbatum, sensuum veritate, formisque eloquendi ad eam veritatem accommodatis cunctæ istæ primitivæ infirmitates largissime compensantur. Ita effectum est, ut illa elocutio, libera omni apparente artificio rhetorice artis, libera sibi conscientia effectus consecratione aeterna vera poëtica elocutionis exempla posteritati traderet, atque etiam ipso artificiorum tædio eruditissimos recentiorum ætatum poëtas ad rectam viam reduceret.

Contra compositionis nostræ Iliadis maxime conspicuae sunt proprietates naturalium, verorum et veri similium *sibi conscientia* incuria vel etiam elusio; in causis moventibus inveniendis minutissima subtilitas et calliditas, que eo magis est conspicua quia persæpe permixta cum negligentia e tædio quodam exortâ appetit; pro naturali sensuum et motionum dominatione tranquilla et circumspecta sagacitas et ratiocinatio ab artis rhetorice artificiis et sophismatis non procul remota; denique pro veritate et simplicitate simulatio, artificium, præstigia.

Eloquenti et componendi, partium ac summae hae proprietates, rationesque psychologicae, e quibus esse dependent tantopere sunt inter se contrariae, ut mihi quidem omnibus iis, quae de compagis et structurae discrepantiis, de rebus in singulis partibus inter se pugnantibus, de dispositionis inaequalitate, de episodiorum ambagibus, de suturis illis adventicie artis inde ab Hermanni⁴⁷⁾ et Lachmanni temporibus usque ad hanc etatem dicta et repetita sunt, ad summam quaestione iudicandam potiores esse videantur, quippe quae psychologiae sanæque mentis aeternis legibus nituntur, et sunt tales, quae si minus per doctrinam et intellectum demonstrari, certe per veritatis sensum percipi possint et ad persuadendum cuique sufficient, qui, ut supra dixi, præ arboribus silvam ex oculis perdere non consueverit.

Mihi quoque igitur plus quam verisimile esse apparet, ei, quem Muelderus ex sua sententia profectus iure, Rothius vero nescio qua de causa eximum quemdam poëtam atque ipsum Homerum appellat, qui nostram Iliadem confecerit, tantummodo compositionem postremum huius compagis easque particulas esse tribuendas, quae manifeste isti compositioni inserviant; verum hunc poëtam illam actionis primitivæ unitatem, quam supra in nostra Iliade ut Græcae poësis epicæ eminentissimum factum agnoscendam plurimique aestimandam esse dixi, per-

⁴⁷⁾ Hermanni tamen ea verba afferre volo, quae vir ille doctissimus, non solum formarum et rerum, sed etiam artis poeticae peritissimus de compositione Iliidis in dissertatione de interpolationibus Homericis edita (Opusc. V. p. 58) dixit. «Cohærent hæc quidem, inquit, aliquo modo, sed tam male, ut, nisi singularum rerum descriptio animam lectorum demulceret, nemo non agre ferret fieri, quæ cur fiant, non appareat.» Et alibi (p. 60) «nisi admirabilis illa carminum suavitas quasi incantationibus quibusdam captos teneret, non tam facile delitescerent, quæ accurati considerata et pugnare inter se et multo minus apte quam quis iure postulet composita esse apparere necesse est». E recentioribus autem facere non possum quin Croiseti analysis laudem (in hist. Græca litt. Vol. I. ed. 2. p. 100—163), quo simplicius et tamen diligentius et accuratius a nullo unquam compositionem Iliidis perscrutatam et illustratam esse censeo, quamquam de origine et vicissitudinibus carminum sententiam eius non assentior, neque sum tam hebeti animo, ut eas partes C. O. Müller analysis (in Hist. Gr. Lit. ed. 4. a Heitzio curata I. p. 76—103) ubi virtutes quoque compositionis Homericæ extolluntur, recte aestimare nequeam.

ectam et absolutam accepisse neque ipsum in actionem suam induisse equidem maxime probabile, ne dicam, certum esse censeo. Etenim nostram Iliadem, hoc ingens opus tantæ et tam varie episodiis distinctæ perpetuitatis, cuius compositio quo magis perscrutatur, eo artificiosior et tortuosior esse apparet, primum exhibuisse exemplum innovationis tantæ et tam notabilis, certæ actionis unitate non carentis: hoc est, quod psychologiae rationibus repugnare mihi videtur, præsertim, quum verisimile sit in nostræ Iliidis compositione perspicuitatem illius unitatis non magis auctam esse, quam depravatam.⁴⁸⁾ Itaque persuasum mihi habeo cum Wilamowitzio et Bethio, unitatem eam in antiquiore illo epico poëmate de ira Achillis canente simplicius et brevius, sine istis partibus compositionem perturbantibus esse perfectam, verisimileque esse censeo Homeri

⁴⁸⁾ Ego ipse quidem in capite V. huius dissertationis exposui apud Græcos semper usitatissimam fuisse eam formam cogitandi et eloquendi, secundum quam incepta sententia inculcatis novis sententiis interrumptur, ut mox novo quadam et fortiore impetu suscipiatur. Concedo istam cogitandi formam etiam in compositione I—VIII. rhapsodiarum observari et hoc fere modo exprimi posse: «Juppiter promisit Thetidi Troianos fore victores, donec Agamemnon Achilli satisficeret: itaque, quum Achivi somnio illo Agamemnonis confisi impetum in Troianos fecissent, — primum quidem (πιν) Achivi erant victores, postea vero... etc.» Hanc procedendi formulam apud Græcos ut naturæ eorum congruam, communissimam fuisse discipulos meos semper admonui, præsertim quum viderem in scititia eius rei in rete intelligendis auctorum sententiis multifariam peccari (Vide e. g. Voemelii falsam interpretationem ad Demosth. de cor. caput 13 in fine: Οὐ γέροντος etc. in editione Didotiana bilingui p. 120). Verum quis ignorat compositionem illorum Iliidis librorum citra et ultra hanc inculandi formam usque ad veram ambagem novorum et inopinatorum eventuum egredi, quibus illa prior inventio (quoniam retardatio per eam effecta nimis intricatur, tantopereque extenditur ut poëta Iovis promissi iamiam oblitus esse appareat) obscurari et depravari potius, quam eventus eius præparari et extolli videatur. Ecce novum exemplum *naturalis* apud Græcos cogitationis eiusque formæ per nimium *artificium* (etiam nimia materie tractandæ opulentia necessarium) corruptæ et vitiatæ. Ex quo quis non videat, easdem ipsas partes (sc. II—VIII. rhapsodiarum maximam partem) redactore antiquiores esse putandas, quippe quæ cum ad hoc artificium adhibendum coegerint? Nam suis ipsius inventis sine aliqua necessitate quemquam, eumque poëtam, sic uti: credat Judeus Apella.

nomen, cuius in redactoris illius ultimi aetate utique nimium recens esset origo, huic vero poëte, aliquanto antiquiori esse tribuendum, qui, siquidem vera est Herodoti opinio, quadrinquentis annis ante eum, idest in IX. saeculo vixerit. Eam igitur opinionem de semine vel nucleo quodam nostri poëmatis (Kerntheorie) ab Hermanno, Grotio, Kirchhoffio, recentius, quamquam aliis de causis, a multis (Robertio, Bechtelio, Fickio, aliis), recentissime a Bethio expositam, non sine iure eos viros doctissimos professos esse arbitror. Et maxima pars eorum unum tantum tale poëma fuisse coniecerunt, Achillis iram et ultionem canens, Wilamowitzius autem et discipuli eius ex una parte, Muelderus ex altera intricatiorem Iliadis nostræ originem fuisse contendunt. Nam quantumvis Muelderi sententia ab illorum sententiis differat, in hoc uno tamen consentiunt, fontes Iliadis nostræ complures et inter se diversissimos esse putandos.⁴⁹⁾ Verum ego, ut supra dixi, rerum probabilitatem tantum perscrutor, finesque analysis, ultra quos synthesis partes incipiunt, quamquam sententiam meam de omnibus his rebus iam pridem constitutam habeo, consilio et proposito in hac dissertatione non transgrediar. Cur enim numerum suppositionum (hypothesium) plus aut minus ingeniose factarum nova multisque fortasse minus probabili augeam, præsertim quum methodum quoque talium perquisitionum parum comprobem utpote que diligenter iis partibus, quæ logicæ præceptis accommodate cohaerere videantur, electis et coniunctis demonstrare studeat, quanto simplicius magisque perspicuum illud prius poëma nostra Iliade fuerit, comparatisque utrisque nova argumenta ad quæstionem solvendam colligat. Etenim, ni fallor, haec est illa procedendi via, quæ in logica circulus vitiosus appellatur, — quamquam scio eam etiam in geometricis et astronomicis constructionibus interdum feliciter adhiberi, quotiescumque ibi demonstrandum pro demonstrato, constructum pro construendo ponitur, Neptunum.

⁴⁹⁾ Id tantum ambigitur, utrum hi fontes proximi ad nostram Iliadem sint putandi (Muelder) an iam ante hanc in poëmatis totam fero actionem nostræ Iliadis (vel adeo plus) continentibus sint coniuncti (Wilamowitzius). Illa sententia de poëta agitur, hac de redactore ultimo, poëtisque cum antecedentibus. Cur ego hanc alteram opinionem complectar ex tota disceptatione mea elucet.

que planetam hac methodo ab illo Leverriero et Adamsio esse detectum.

Denique esse quosdam fines in quæstione Homerica video, citra quos analysis poëmatum se continere debeat, si quis ea, quæ probabilia et veri similia videntur, pro speciosis sed incertis sacrificare noluerit.

Ex analysi autem probabile esse videtur, maximam partem eorum, quæ in nostra Iliade perverse inventa et disposita esse videantur, ei esse tribuendam, qui postremus vel postremo proximus hanc tantam compagem constituerit, neque eum veri poëte nomine esse dignum, quippe qui contra leges æternas omnis omnium gentium poësis, in ipsa naturæ et veritatis præcepta peccaverit, quæ illi veri poëte antiqui non artificio nixi, sed divinitus quodam modo afflati tantopere coluerant et observarant. Unum aut alterum tantum perfectum et absolutum in se poëma minoribus interpolationibus, an compluria hic postremus poëta vel redactor coniungendo deformaverit, hanc quæstionem nunc in medio relinquam, quamquam ipse cum Wilamowitzio iam ab aliquo poëta redactorem nostrum ultimum aliquanto antecedente duo vel tria maiora poëmata coniuncta aliisque brevioribus amplificata — ne cum Bethio dicam: multo cum sudore coarctata — esse arbitror. Ex quibus omnibus poëtis Homeri nomen ut supra dixi, ei tribuendum esse puto, qui Achillis iram, testante Iliadis proœmio nostræ quoque Iliadis primarium argumentum primus componuerit.

Quoniam autem causarum moventium inventionem sibi et personarum moribus convenientem in poëmatis differentibus coniungendis perdifficile fuisse constat, postremo poëtæ, quam ego redactorem appellare malim, vel postremo huic proximo assignandum esse puto totum fere deorum illum gregem, sive ipse eos invenerit, sive, ut Muelderus suspicatur, ex absoluto quodam sed Achilleide illa minus serio poëmate, fortasse Herculis facta celebrante, eos hue transtulerit, inde ab illiberali violento et agresti illo primæ rhapsodie Iove usque ad Martem quiritantem vel ad scenam Theomachiae securilem, ultraque eam usque ad finem, quam tam profanam turbam in serio poëmate iure ab ipsis Græcis perstrictam esse parodiisque et quæ dicuntur travestitionibus ab Aristophane ad Offenbachium

merito materiam præbuisse censeo. Nam Iovem uxoris convicia metuentem, at tamen violentia sua perfruentem, vel deos rusticam quadam acerbitate castigantem iisque minitantem tantum cachinni fortissimi movendi causa ita inductum esse a lascivo et versuto illo homine (scurra, Schalk, Rothii verbum), non minus perspicio ac sentio, quam in Odyssea Veneris et Martis pœnam in flagranti, ut dicitur, delicto deprehensorum; istumque cachinnum minime esse ita sanum et innocentem atque alibi, ubi Homericum illum risum invenimus. Hæc omnia in hac forma novissime in Iliadem inserta esse mihi plus triginta annos abhinc verisimile esse videbatur; novis analyticorum perscrutationibus, Gerckiique dissertatione aliquanto prius (anno 1901) edita corroborata tantum est mea opinio, eum poëtam, qui in tragico vel certe serio poëmate deos dramatis satyrici vel rectius comedie more induxisset, neque Achillis iræ, nec ceterarum seriarum Iliadis partium fuisse auctorem, interque universos Græcos stili unitatis sensu excellentes singulare et mirabile edidisse *generum permixtorum* exemplum. Hæc nostræ Iliadis proprietas, quam a nullo esse notatam non mediocriter miror⁵⁰⁾ tantummodo cum origine operis omnium ceterorum prorsus differenti explanari potest, quandoquidem nunquam postea eæ causæ apparere potuerunt, quæ Iliadis nostræ auctorem ut ita faceret, induxerant.

XVI.

Postremo neglegi mea quidem sententia nulli has res serio pertractanti potest quæstio, quam tamen nonnulli neglegere

⁵⁰⁾ Quamquam quomodo id ante Nestlii dissertationem notari potuerit, quum etiamnum sint, qui Iovis Homerici dignitatem et maiestatem cum verbis unctione plenis (salbungsvoll) prædicent? Qui si addiderint quod in scholis puellarum nostris extolli solet, Phidiam quoque tribus illis immortalibus versibus fuisse «inspiratum», non ita facile meliora doceri posse apparebunt. Adnotandum esse censeo, me quoque iis versibus vehementer delectari, eosque excellenti cuidam antiquo poëta tribuere; ineptissimum autem, vel scurrilem putare istam compositionem, quæ a Iove convicia uxoris metuente, eaque ipsa de causa ($\mu\acute{\iota}\alpha\tau\vartheta\sigma\eta\pi\eta$) Thetidem relegante hic ipsum quoque tremefieri finixerit magnum Olympum, etiamque hic eos versus aliunde notos adhibuerit.

solent: quid fuerit propositum ei poëte, qui totam hanc ingenitum carminum compagm primus in perpetuam seriem redegerit, quomodoque id perficere potuerit?

Quod ad modum pertinet, quomodo id fieri potuisse sine iustis voluminibus conscribendis, equidem numquam intellexi, qui illa priora quoque, longe minora carmina sine scripturæ adminiculo constitui et conservari posse nego.

Quod ad propositum auctoris, unum constat, unde proficisciendum est: quandocumque facultas scribendi apud Græcos in vulgarem usum venerit, in florentis epicæ poësis ætate, usque ad sæculum VI. carmina non fuisse lectoribus destinata, sed per recitatores in publicis et privatis conventibus atque etiam in sollemnibus certaminibus ($\alpha\gamma\omega\nu\varsigma$) divulgata.⁵¹⁾

Ex quo efficitur, principio carmina utique ad hunc recitandi usum fuisse accommodata ipsaque illa posteriora iam certam actionem habentia minora poëmata (Kleinpen) verisimile est eam longitudinem, qua in singulis occasionibus ad finem perduci potuerint, non excessisse. Nostram vero Iliadem, cuius longitudo proverbialis erat ($\mu\alpha\chi\rho\tau\varepsilon\eta\varsigma\eta\pi\eta\iota\delta\sigma\varsigma$), coram iisdem auditoribus totam ab initio usque ad finem déclamari potuisse nec C. O. Müller affirmando (l. c. p. 102) nec Kienii tota dissertatione quemquam adduci posse censeo, ut credat. Ture igitur suo tempore quesivit Wolfius (Prolegg. c. XXVI) quid tandem istum poëtam compellere potuisse in consilium et cogitationem tam longorum et continuo partium nexu consertorum carminum? Ad quam quidem quæstionem ipsius resonsum nemo ignorat. Recentissima autem ætas quæ nostram Iliadem non subito velut ex tripode exortam esse, sed e nonnullis antiquioribus poëmatiis, iisque certam iam actionem et medioarem quamdam longitudinem habentibus constitutam esse arbitrabatur, inverso syllogismo ratiocinari coepit. Quandoquidem nostra Ilias

⁵¹⁾ Neque obliviscendum est posterius quoque in tota fere antiquitate etiam in privato usu lectione plerumque non tacitum oculorum labore significari, sed recitationis auscultationem per servum aliquem factæ; quumque sibi quis solus aliquid legeret, eam quoque lectionem clara voce fieri solere.

De qua re vide novissime Josephi Balog Hungari dissertationem *Voces Paginarum*, inscriptam (Budapestini, 1921, ap. Soc. Franklinianam).

ex una parte ante ætatem iustorum voluminum neque nasci, neque constitui, neque integra manere potuerit, ex altera minoribus illis poëmatis, de quibus unitas eius dependet, recentior esse debeat, originem eius etiam ex his causis quam recentissimam esse ponendam, propositum autem poëte sive redactoris, ut breviter dicam, litterarium, tamquam nostræ ætatis auctoriibus (Bethius) aut, fortasse rectius, materiale, id est cum argu-
mento coniunctum (Stoffliches Interesse, Wilamowitzius) fuisse, ut omnia carmina in eo argumento sub Homeri nomine per-
vulgata congererentur et conservarentur; quæ posterior opinio ab altero quoque disciplinæ nostræ principe, E. Meyero (in hist.
antiquitatis vol. II. 1893. § 265, p. 406 sqq.) potior est declarata.

XVII.

Compositionem igitur Iliadis nostræ sub finem florentis epicæ poësis esse ponendam, uniusque vel admodum paucorum consilium et operam in ea esse versatam plus quam probabile est. Sed aurea ætas huius poësis, nimium ea, ubi poëtae vero naturæ afflatus animati et commoti sua opera procreabant, mea sententia multis annis ante nostram Iliadem compositam ea ætas est appellanda, in qua eloquendi virtutibus componendi quoque veræ eisque similes virtutes associatae illa breviora epica poëmata imprimis illud de ira Achillis et ultione canens, efficere cooperunt, quorum reliquiæ in nostra Iliade quamquam pro certo definiri fortasse numquam poterunt, sine dubio tamen ita continentur, ut virtutes eloquendi illius aureæ ætatis ex iis intel-
ligi et constitui possint. *Iudiciorum autem varietas de virtute totius Iliadis diversa partium et summae origine explicatur.* Compositionem nostræ Iliadis finalem, eumque, cui ea tribuitur, ethicæ et æstheticæ rationibus non esse nimia admiratione dignum. *adest tempus, quo post Wolfium et Hermannum ite-
rum magna cum gravitate admonendum esse censeam.*⁵²⁾ Immo

⁵²⁾ Quamquam non nimiam habere me spem ipse confiteor fore ut vox mea debilis exaudiatur, quum ipsius principis disciplinæ nostræ verba in ipsa patria eius hucusque parum estimata esse videam, non solum Homero, sed universis Ionibus formarum quidem inveniendarum et expo-
liendarum summam virtutem tribuentis facultatem vero totum ponendi, sensumque ordinis, legum, harmoniæ in universum iis abiudicantis (Ap. Hinnebergium, ed. 3. 1912. 303—311).

etiam, si adasset spes futurum fuisse, ut etiam sine huius novissimæ compagis ministerio illa breviora epica poëmata integra conservarentur, compositionem nostræ Iliadis, utpote quæ nobis illa poëmata plus aus minus deformaverit, rei poëticæ funestam fuisse affirmaverim. Nihilominus, ut nunc res se habet, gratias habeamus oportet, quod saltem per Iliadis ambages priorum illorum poëmatum virtutes si minus definire, at certe animo percipere atque ut ita diaam, divinare, iisque perfrui possumus.

Ad explicandam rem respiciendum esse puto, in Iliade nostra ad litteras posteriorum atatum formandas non compositionem Iliadis fuisse maximi momenti, sed elocutionem poëticam easque rationes psychologicas, quibus haec elocutio contineatur: nempe ingenuitatem, simplicitatem illam naturæ convenientem, artificiosisque compositionis ambagibus maxime contrariam. Itaque sub finem XVIII. sæculi non compositio Homerica, sed elocutio simplici poëtarum animo accommodata, ipse naturæ amor et cupiditas principes Germanorum vates et litteratos ab artificiois illius ætatis effeminatæ, quæ barbaro nomine verrucosa (baroque) iure appellatur, avertit, eademque Goethium in Hermann und Dorothea, in Iphigenia sumnum exemplum novæ elocutionis et rationis cum præterita ætate tantopere discrepantis prodidit. Quid recentiores inde a Vergilio compositioni Iliadis et Odysseæ debeant, video, longeque absum ut id nullius momenti fuisse putem. Verum id quidem alio quoque modo eos assequi potuisse opinor, certaque illam acceptam compositionem admirabili quodam modo excoluisse et perpolivisse eos affirmo: nam virtute et præstantia componendi recentioris ætatis vates, non solum Goethium Germanorum vel Joannem Arany Hungarorum isti negligenti et tamen artificioso Iliadis vel Odysseæ redactori comparare mea quidem sententia relapsum nostrum iudicium ad hebetiorem vel incultiorem præteriorum ætatum sensum significet. Quas quidem usque ad hanc ætatem potissimum in ipsa compositione stupere nemo sapiens mirabitur, quum ea sola esset, quæ etiam e translationibus, argumenti narrationibus, vel excerptis etiam sine Græcæ linguae peritia facile cognoscatur, quæ etiamnunc in quavis superiore puellarum schola vel gymnasio — quibus novissime miro modo auctis et multiplicatis me inimicissimum esse confiteor — laudibus extol-

latur, quæque mox per disciplinas Graeca studia supplentes, — nam lego ipsa ita apud nos istæ nominantur — in puerorum quoque gymnasiali heu! principale et unicum fere Homericæ disciplinæ residuum ac monumentum evadet. Etenim in hoc genere idem fere accidit, quod de rhetorica quoque observari potest, quæ apud Graecos doctrinam inventionis generibus constitutionum (*στάσεις*) et topicis tantopere instruxit et amplificavit, doctrinam elocutionis illa idearum distinctione condidit, ex qua tamen etiam politiores nostræ aetatis viri semper in foro versati vix quidquam ultra famosas illas compositionis partes, exordium, dispositionem, narrationem, argumentationem, conclusionem sibi notasse ac retinuisse videntur, ea scilicet, quæ e quolibet libro classico ad eum finem facto memoriter edisci possint. Attamen quanto studio est digna Græcorum illa rhetorica, vel etiam illa per Ciceronem et Quintilianum Latina lingua nobis tradita, qualesque fructus etiamnunc esset latura in erudiendis *provectionioris* aetatis discipulis *recte* adhibita!

Quæ omnia, præcipue iudicia maiorum et plerorumque aequalium de virtute compositionis Homericæ neglecta, quanto-
pere nonnullos præsertim apud nos offensura sint, equidem præsentio; quin etiam verendum mihi esse opinor, ne ego, Græcorum, Demosthenis, Platonis, Aristotelis, Homeri per plus quadraginta annos fidelis et gratus discipulus Zoili illius æmulus repente evasisse declarer, exoriaturque aliquis, qui Homerum meum contra impetum meum defendendum esse existimet. Quod, si acciderit, tranquillo animo feram, si quis vero me ad rectam viam reduxerit, gratias quoque agam. Quamquam sententiam meam per tot annorum seriem constitutam non ita facile commutari posse puto; nam, quamquam principales recentiorum sententias non mihi prorsus esse ignotas quemvis peritum perspecturum esse spero, iam inde a primis Wilamowitzii pervestigationibus (1884) testantibus discipulis meis admodum pauca me habuisse, quæ de universa re immutarem, iure confirmare posse mihi videor.

Quare ut huic disceptationi iam finem faciam, sententiam meam brevissime sic complectar: unitatis summa totius memoria non prodesse sed obesse ei, qui carminibus Homericis *veræ naturae et origini eorum convenienter delectari* velit, in

Iliade autem (et in Odyssea quoque) non compagem illam, sed partium elocutionem esse maximi faciendam; de vera eius poësis virtute ne accuratissimam quidem argumenti narrationem, ne ingeniosissimam quidem compositionis perquisitionem prebere veram existimationem, lectionemque textus originalis vel non-nularum particularum incomparabili modo potiorem esse ad illam virtutem cognoscendam. Veros poëtas, verum illum Homerum semper in partibus fuisse, esse et fore querendos et inveniendos.

Ut tamen interpretationibus falsis vel malevolis occurram, sententiam meam etiam de hodierno statu questionis Homericæ adiiciam.

Perquisitiones ad eam solvendam susceptas hucusque magnopere inter se discrepare levioris momenti esse, neque idcirco desperandum esse puto. Contra maximi momenti esse arbitror vehementerque approbo ipsas perquisitiones, illam assiduitatem, sollertia, sagacitatem in iis exhibitam, eas methodi differentias, eas rationes procedendi sive cum arguento sive cum forma carminum comiunctas, quibus tot doctissimi viri (atque etiam feminæ) quæstionem solvere conati ipsas philologiae disciplinas, interque eas novissime interpretandi quoque disciplinam incredibili quodam modo excoluerunt. Wolfi, Hermanni prime criticæ et æstheticæ dubitationes, Lachmanni, Köchlii, Christii sagacitas, Schliemann, Dörpfeldii, Evansii, Italorum indefessa diligentia, Helbigi, Reichelii, Roberti opera, Fickii, Bechtelii experimenta, novissime autem analyticorum studia ad vestigia Welckeri, Kirchhoffi revertentium longiusque progredientium: omnia hæc fuerunt necessaria, quippe quæ ad finem perductis molestis sæpe, sed necessariis investigationibus *etiamsi parum ex iis effectum esse videatur*, aliquantum certe ad quæstionem solvendam contulerunt. Denique perquisitiones ad Homericam quæstionem pertinentes tam excellentem historiae philologiae partem iam efficiunt, ut quicunque eas neglegat vel despiciat, summo iure de negligentia et respectu ipsius scientiæ accusetur. Itaque critica Homericæ — ut Caueri, viri doctissimi de Homero optime meriti verba afferam — longe abest ut desperare debeat de futuris sibi agendis, ubicumque perquisitiones nondum penitus sunt exhaustæ et perfectæ, vel inutilitas earum

experimento perfecto sine omni dubio nondum demonstrata esse videtur.

In praesenti autem statu rerum, quum in quaestione analysis elocutionis partes primarias gerere videtur, plurimum ab investigandis iis proprietatibus exspecto, quae cum ipsa lingua poëtica cohærent; itaque tironibus novam perquisitionem iteratorum ceterorumque priorum commendo, quos capite I. huius dissertationis accuratius exposui; etenim talia studia, etiamsi ad quæstionem solvendam insufficientia esse apparerent, ad scientiam nostram augendam, præsertim si cum studio veterum grammaticorum Græcorum fuerint coniuncta, necessario aliquid conferent.

Quod autem id genus methodi pertinet, quod partes ex toto indicat et interpretatur, ultraquæ analysis fines egressum synthesis plus aut minus audaci utitur: quæ e talibus studiis effecta sunt, tantummodo ut plus aut minus probabilia (*όποιατερά*) aestimanda esse censeo, neque infitiabor hanc dissertationem etiam ea ipsa de causa nunc me edidisse, quia virtutem unitatis carminum et dispositionis eorum novissime nimio modo prædicari et extolli video, quin esse virum doctum, eumque litteraturæ quæstionis peritissimum, qui etiam totam nostræ Iliadis elocutionem etiamnunc eidem poëtae eximio tribuat, qui *nostram* Iliadem composuerit: qua sententia non potest fangi meæ magis contraria.

Nihilominus talium quoque perquisitionum ad finem perductarum necessitatem atque utilitatem prorsus intelligo et perspicio, sollertiaisque, sagacitatem, et scientiam in iis (præcique in Muelderi libro omnium ingeniosissimo, qui unquam de Homero scripti sunt) exhibitam admirari nunquam desinam.

ÉRTEKEZÉSEK A NYELV- ÉS SZÉPTUDOMÁNYOK KÖRÉBŐL.

KIADJA A MAGYAR TUD. AKADEMIA.

AZ I. OSZTÁLY RENDELETÉBŐL

SZERKESZTI

SZINNYEI JÓZSEF
OSZTÁLYITTKÁR.

XXIV. KÖTET 5. SZÁM.

KÁRMÁN JÓZSEF ÉS AZ URÁNIA NÉVTELENJEI

ÍRTA

SZINNYEI FERENC
LEV. TAG

Földolvasta a Magyar Tudományos Akadémiának
1923 január 8-i ülésében.

BUDAPEST
KIADJA A MAGYAR TUDOMÁNYOS AKADEMIA
1924